A CO

SE

TH

FOU

CIC

CIC

TH

CURRICULUM LATINUM

AD USUM JUVENTUTIS.

PARS PRIMA.

A COURSE OF LATIN READING FOR THE USE OF SCHOOLS,

PART FIRST,

CONTAINING

SELECTIONS FROM CORNELIUS NEPOS.
THE 3rd AND 4th BOOKS OF QUINTUS CURTIUS.
FOUR BOOKS OF CAESAR'S COMMENTARIES.
CICERO ON OLD AGE.
CICERO ON FRIENDSHIP.
THE AGRICOLA OF TACITUS.

MONTREAL:
ARMOUR AND RAMSAY.

1850.

C

SE

SELECTAE

EX

CORNELII NEPOTIS

VITIS

EXCELLENTIUM IMPERATORUM.

SELECTIONS FROM CORNELIUS NEPOS,

FROM THE BEST TEXTS,

CAREFULLY REVISED.

MONTREAL:
ARMOUR AND RAMSAY,
1849.

CORNELIUS NEPOS

DE VITIS

EXCELLENTIUM IMPERATORUM,

AD TITUM POMPONIUM ATTICUM.

I. MILTIADES.

CAP. I. *Miltiades, dux colonorum, in itinere a Lemniis irridetur.*

MILTIADES, Cimonis filius, Atheniensis, quum et antiquitate generis, et gloriâ majorum, et suâ modestiâ unus omnium maximè floreret, eâque esset aetate, ut non jam solum de eo bene sperare, sed etiam confidere cives possent sui, talem futurum, qualem cognitum judicârunt; accidit, ut Athenienses Chersonesum colonos vellent mittere. Cujus generis quum magnus numerus esset, et multi ejus demigrationis peterent societatem; ex his delecti Delphos (deliberatum) missi sunt, qui consulerent Apollinem, quo potissimùm duce uterentur. Namque tum Thraces eas regiones tenebant, cum quibus armis erat dimicandum. His consulentibus nominatim Pythia praecepit, ut Miltiadem sibi imperatorem sumerent; id si fecissent, incepta prospera futura. Hoc oraculi responso Miltiades, cum delectâ manu, classe Chersonesum profectus, quum accessisset Lemnum, et incolas ejus insulae sub potestatem redigere vellet Atheniensium, idque ut Lemnii suâ sponte

facerent, postulâsset, illi irridentes responderunt, tum id se facturos, quum ille, domo navibus proficiscens, vento Aquilone venisset Lemnum: hic enim ventus, a Septentrionibus oriens, adversum tenet Athenis proficiscentibus. Miltiades, morandi tempus non habens, cursum direxit quo tendebat, pervenitque Chersonesum.

CAP. II. *Miltiades, Chersoneso potitus, Lemnum capit et Cycladas.*

IBI, brevi tempore, barbarorum copiis disjectis, totâ regione quam petierat potitus, loca castellis idonea communivit: multitudinem, quam secum duxerat, in agris collocavit, crebrisque excursionibus locupletavit. Neque minus in eâ re prudentiâ, quam felicitate, adjutus est: nam quum virtute militum devicisset hostium exercitus, summâ aequitate res constituit, atque ipse ibidem manere decrevit. Erat enim inter eos dignitate regiâ, quamvis carebat nomine: neque id magis imperio, quam justitiâ consecutus. Neque eo secius Atheniensibus, a quibus erat profectus, officia praestabat. Quibus rebus fiebat, ut non minus eorum voluntate perpetuo imperium obtineret, qui miserant, quam illorum, cum quibus erat profectus. Chersoneso tali modo constitutâ, Lemnum revertitur, et ex pacto postulat, ut sibi urbem tradant. Illi enim dixerant, quum vento Boreâ domo profectus eo pervenisset, sese dedituros: se autem domum Chersonesi habere. Cares, qui tum Lemnum incolebant, etsi praeter opinionem res ceciderat, tamen non dicto, sed secundâ fortunâ adversariorum capti, resistere ausi non sunt atque ex insulâ demigrârunt. Pari felicitate ceteras insulas, quae Cyclades nominantur, sub Atheniensium redegit potestatem.

CAP. III. *Dario Scythis bellum inferente, Miltiades, pontis custos, consilium dat excutiendae dominationis Persicae, sed ab Histiaeo impeditur.*

IISDEM temporibus, Persarum rex, Darius, ex Asiâ in Europam exercitu trajecto, Scythis bellum inferre

decrevit: pontem fecit in Istro flumine, quâ copias traduceret. Ejus pontis, dum ipse abesset, custodes reliquit principes, quos secum ex Ioniâ et Aeolide duxerat: quibus singulis ipsarum urbium perpetua dederat imperia. Sic enim putavit, facillime se Graecâ linguâ loquentes, qui Asiam incolerent, sub suâ retenturum potestate, si amicis suis oppida tuenda tradidisset, quibus, se oppresso, nulla spes salutis relinqueretur. In hoc fuit tum numero Miltiades, cui illa custodia crederetur. Hic, quum crebri afferrent nuntii, male rem gerere Darium, premique ab Scythis, Miltiades hortatus est pontis custodes, ne a fortunâ datam occasionem liberandae Graeciae dimitterent; nam si cum his copiis, quas secum transportaverat, interiisset Darius, non solum Europam fore tutam, sed etiam eos, qui Asiam incolerent Graeci genere, liberos a Persarum futuros dominatione et periculo: et id facile effici posse; ponte enim rescisso, regem vel hostium ferro, vel inopiâ, paucis diebus interiturum. Ad hoc consilium quum plerique accederent, Histiaeus Milesius, ne res conficeretur, obstitit, dicens, non idem ipsis, qui summas imperii tenerent, expedire et multitudini; quod Darii regno ipsorum niteretur dominatio: quo extincto, ipsos potestate expulsos civibus suis poenas daturos. Itaque adeo se abhorrere a ceterorum consilio, ut nihil putet ipsis utilius, quam confirmari regnum Persarum. Hujus quum sententiam plurimi essent secuti, Miltiades, non dubitans, tam multis consciis, ad regis aures consilia sua perventura, Chersonesum reliquit, ac rursus Athenas demigravit: cujus ratio etsi non valuit, tamen magnopere est laudanda; quum amicior omnium libertati, quam suae fuerit dominationi.

Cap. IV. *Dario rege in Graecos movente, auctor suis est Miltiades, ut obviam hosti eant.*

Darius autem, quum ex Europâ in Asiam rediisset, hortantibus amicis, ut Graeciam redigeret in suam potestatem, classem quingentarum navium comparavit, eique Datim praefecit, et Artaphernem; hisque ducenta peditum millia et decem equitum dedit: causam inter-

serens, se hostem esse Atheniensibus, quod eorum auxilio Iones Sardeis expugnâssent, suaque praesidia interfecissent. Praefecti regii, classe ad Euboeam appulsâ, celeriter Eretriam ceperunt, omnesque ejus gentis cives abreptos in Asiam ad regem miserunt. Inde ad Atticam accesserunt, ac suas copias in campum Marathona deduxerunt. Is abest ab oppido circiter millia passuum decem. Hoc tumultu Athenienses tam propinquo tamque magno permoti, auxilium nusquam nisi a Lacedaemoniis petiverunt; Philippidemque, cursorem ejus generis, qui hemerodromi vocantur, Lacedaemonem miserunt, ut nuntiaret, quam celeri opus esset auxilio. Domi autem creati decem praetores, qui exercitui praeessent: in eis Miltiades: inter quos magna fuit contentio, utrum moenibus se defenderent, an obviam irent hostibus acieque decernerent. Unus Miltiades maxime nitebatur, ut primo quoque tempore castra fierent: id si factum esset, et civibus animum accessurum, quum viderent de eorum virtute non desperari, et hostes eâdem re fore tardiores, si animadverterent audere adversus se tam exiguis copiis dimicare.

CAP. V. *Miltiades ante sociorum adventum Darium vincit Marathoniâ pugnâ.*

Hoc in tempore nulla civitas Atheniensibus auxilio fuit, praeter Plataeensium; ea mille misit militum. Itaque horum adventu decem millia armatorum completa sunt: quae manus mirabili flagrabat pugnandi cupiditate: quo factum est, ut plus, quam collegae, Miltiades valuerit. Ejus enim auctoritate impulsi, Athenienses copias ex urbe eduxerunt, locoque idoneo castra fecerunt; deinde postero die, sub montis radicibus, acie e regione instructâ, novâ arte, vi summâ proelium commiserunt. Namque arbores multis locis erant stratae, hoc consilio, ut et montium tegerentur altitudine, et arborum tractu equitatus hostium impediretur, ne multitudine clauderentur. Datis, etsi non locum aequum videbat suis, tamen fretus numero copiarum suarum, confligere cupiebat; eoque magis, quod, priusquam Lacedaemonii subsidio venirent, dimi-

care utile arbitrabatur. Itaque in aciem peditum centum, equitum decem millia produxit, proeliumque commisit. In quo tanto plus virtute valuerunt Athenienses, ut decemplicem numerum hostium profligarent, adeoque perterruerunt, ut Persae non castra, sed naves peterent. Quâ pugnâ nihil adhuc est nobilius; nulla enim unquam tam exigua manus tantas opes prostravit.

Cap. VI. *Miltiades victoriae praemium accipit.*

Cujus victoriae, non alienum videtur, quale praemium Miltiadi sit tributum, docere, quo facilius intelligi possit, eandem omnium civitatum esse naturam. Ut populi nostri honores quondam fuerunt rari et tenues, ob eamque causam gloriosi, nunc autem effusi, atque obsoleti; sic olim apud Athenienses fuisse reperimus. Namque huic Miltiadi, qui Athenas, totamque Graeciam liberavit, talis honos tributus est, in porticu, quae Poecile vocatur, quum pugna depingeretur Marathonia, ut in decem praetorum numero prima ejus imago poneretur; isque hortaretur milites, proeliumque committeret. Idem ille populus, posteaquam majus imperium est nactus, et largitione magistratuum corruptus est, trecentas statuas Demetrio Phalereo decrevit.

Cap. VII. *Miltiades, Pari oppugnatione omissâ, damnatus, in vinculis moritur.*

Post hoc proelium, classem septuaginta navium Athenienses eidem Miltiadi dederunt, ut insulas quae barbaros adjuverant, bello persequeretur; quo imperio plerasque ad officium redire coegit, nonnullas vi expugnavit: ex his Parum insulam opibus elatam, quum oratione reconciliare non posset, copias e navibus eduxit, urbem operibus clausit, omnique commeatu privavit; deinde vineis ac testudinibus constitutis, propius muros accessit. Quum jam in eo esset ut oppido potiretur, procul in continenti lucus, qui ex insulâ conspiciebatur, nescio quo casu, nocturno tempore incensus est: cujus flamma ut ab oppidanis et oppugnatoribus est visa, utrisque venit in opinionem, signum a classia-

riis regiis datum. Quo factum est, ut et Parii a deditione deterrerentur, et Miltiades, timens ne classis regia adventaret, incensis operibus quae statuerat, cum totidem navibus atque erat profectus, Athenas magnâ cum offensione civium suorum rediret. Accusatus ergo proditionis, quod, quum Parum expugnare posset, a rege corruptus, infectis rebus, a pugna discessisset. Eo tempore aeger erat vulneribus quae in oppugnando oppido acceperat. Itaque, quoniam ipse pro se dicere non posset, verba pro eo fecit frater ejus Tisagoras. Causâ cognitâ, capitis absolutus, pecuniâ mulctatus est. Eaque lis quinquaginta talentis aestimata est: quantus in classem sumptus factus erat. Hanc pecuniam quod solvere non poterat, in vincula publica conjectus est, ibique diem obiit supremum.

Cap. VIII. *Vera causa damnationis Miltiadis metus populi.*

Hic etsi crimine Pario est accusatus, tamen alia fuit causa damnationis. Namque Athenienses, propter Pisistrati tyrannidem quae paucis annis ante fuerat, omnium suorum civium potentiam extimescebant. Miltiades, multum in imperiis magistratibusque versatus, non videbatur posse esse privatus, praesertim quum consuetudine ad imperii cupiditatem trahi videretur. Nam Chersonesi omnes illos quos habitârat annos perpetuam obtinuerat dominationem, tyrannusque fuerat appellatus, sed justus. Non erat enim vi consecutus, sed suorum voluntate, eamque potestatem bonitate retinuerat. Omnes autem et habentur et dicuntur tyranni, qui potestate sunt perpetuâ in eâ civitate, quae libertate usa est. Sed in Miltiade erat cum summa humanitas, tum mira comitas, ut nemo tam humilis esset, cui non ad eum aditus pateret: magna auctoritas apud omnes civitates, nobile nomen, laus rei militaris maxima. Haec populus respiciens, maluit eum innoxium plecti, quam se diutius esse in timore.

II. THEMISTOCLES.

Cap. I. *Themistocles adolescentiâ ingenioque usus liberiore.*

Themistocles, Neocli filius, Atheniensis. Hujus vitia ineuntis adolescentiae magnis sunt emendata virtutibus: adeo ut anteferatur huic nemo, pauci pares putentur. Sed ab initio est ordiendum. Pater ejus Neoclus generosus fuit. Is uxorem Halicarnassiam civem duxit, ex quâ natus est Themistocles. Qui, quum minus esset probatus parentibus, quod et liberius vivebat, et rem familiarem negligebat, a patre exhaeredatus est. Quae contumelia non fregit eum, sed erexit. Nam, quum judicâsset, sine summâ industriâ non posse eam extingui, totum se dedidit reipublicae, diligentius amicis famaeque serviens. Multum in judiciis privatis versabatur, saepe in concionem populi prodibat; nulla res major sine eo gerebatur; celeriterque, quae opus erant, reperiebat, facile eadem oratione explicabat. Neque minus in rebus gerendis promptus, quam excogitandis, erat: quod et de *instantibus*, (ut ait Thucydides) *verissime judicabat, et de futuris callidissime conjiciebat.* Quo factum est, ut brevi tempore illustraretur.

Cap. II. *Themistocles bello clarus Corcyraeo et Persico.*

Primus autem gradus fuit capessendae reipublicae, bello Corcyraeo: ad quod gerendum praetor a populo factus, non solum praesenti bello, sed etiam reliquo tempore ferociorem reddidit civitatem. Nam, quum pecunia publica, quae ex metallis redibat, largitione magistratuum quotannis interiret, ille persuasit populo, ut eâ pecuniâ classis centum navium aedificaretur. Quâ celeriter effectâ, primum Corcyraeos fregit, deinde, maritimos praedones consectando, mare tutum reddidit. In quo cum divitiis ornavit, tum etiam peritissimos belli navalis fecit Athenienses. Id quantae saluti fuerit universae Graeciae, bello cognitum est Persico. Nam

quum Xerxes et mari et terrâ bellum universae inferret Europae, cum tantis eam copiis invasit, quantas neque antea, neque postea habuit quisquam: hujus enim classis mille et ducentarum navium longarum fuit, quam duo millia onerariarum sequebantur: terrestres autem exercitus septingentorum millium peditum, equitum quadringentorum millium fuerunt. Cujus de adventu quum fama in Graeciam esset perlata, et maxime Atheni-enses peti dicerentur, propter pugnam Marathoniam, miserunt Delphos consultum, quidnam facerent de rebus suis. Deliberantibus Pythia respondit, ut moenibus ligneis se munirent. Id responsum, quo valeret, quum intelligeret nemo, Themistocles persuasit, consilium esse Apollinis, ut in naves se suaque conferrent; eum enim a deo significari murum ligneum. Tali consilio probato, addunt ad superiores totidem naves triremes: suaque omnia, quae moveri poterant, partim Salaminem, partim Troezenem, asportant; arcem sacerdotibus paucisque majoribus natu, ac sacra procuranda tradunt, reliquum oppidum relinquunt.

CAP III. *Themistocles pugnat secundo proelio ad Artemisium.*

HUJUS consilium plerisque civitatibus displicebat, et in terrâ dimicari magis placebat. Itaque missi sunt delecti cum Leonidâ Lacedaemoniorum rege, qui Thermopylas occuparent, longiusque barbaros progredi non paterentur. Hi vim hostium non sustinuerunt eoque loco omnes interierunt. At classis communis Graeciae trecentarum navium, in quâ ducentae erant Atheniensium, primum apud Artemisium, inter Euboeam continentemque terram, cum classiariis regiis conflixit: angustias enim Themistocles quaerebat, ne multitudine circumiretur. Hinc etsi pari proelio discesserant, tamen eodem loco non sunt ausi manere, quod erat periculum, ne, si pars navium adversariorum Euboeam superâsset, ancipiti premerentur periculo. Quo factum est, ut ab Artemisio discederent, et adversum Athenas, apud Salamina, classem suam constituerent.

Cap. IV. *Juxta Salaminem astu vincitur Xerxes.*

At Xerxes, Thermopylis expugnatis, protinus accessit astu, idque, nullis defendentibus, interfectis sacerdotibus, quos in arce invenerat, incendio delevit. Cujus famâ perterriti classiarii, quum manere non auderent, et plurimi hortarentur, ut domos suas quisque discederent, moenibusque se defenderent; Themistocles unus restitit, et, universos esse pares posse, aiebat, dispersos testabatur perituros. Idque Eurybiadi regi Lacedaemoniorum, qui tum summae imperii praeerat, fore affirmabat. Quem quum minus quam vellet moveret, noctu de servis suis, quem habuit fidelissimum, ad regem misit, ut ei nuntiaret suis verbis, "adversarios ejus in fugâ esse, qui si discessissent, majore cum labore, et longinquiore tempore bellum confecturum, quum singulos consectari cogeretur; quos si statim aggrederetur, brevi universos oppressurum." Hoc eo valebat, ut ingratiis ad depugnandum omnes cogerentur. Hâc re auditâ, barbarus nihil doli subesse credens, postridie alienissimo sibi loco, contra opportunissimo hostibus, adeo angusto mari conflixit, ut ejus multitudo navium explicari non potuerit. Victus ergo est magis consilio Themistoclis, quam armis Graeciae.

Cap. V. *Xerxes Europâ pellitur.*

Hic barbarus, etsi male rem gesserat, tamen tantas habebat reliquias copiarum, ut etiam cum his opprimere posset hostes. Interim ab eodem, gradu depulsus est. Nam Themistocles, verens ne bellare perseveraret, certiorem eum fecit, id agi, ut pons, quem ille in Hellesponto fecerat, dissolveretur, ac reditu in Asiam excluderetur; idque ei persuasit. Itaque, quâ sex mensibus iter fecerat, eâdem minus diebus triginta in Asiam reversus est, seque a Themistocle non superatum, sed conservatum judicavit. Sic unius viri prudentiâ Graecia liberata est, Europaeque succubuit Asia. Haec altera victoria, quae cum Marathonio possit comparari tropaeo: nam pari modo apud Salamina, parvo numero navium, maxima, post hominum memoriam, classis est devicta.

Cap. VI. *Confecto bello, Themistocles muros restituit.*

Magnus in hoc bello Themistocles fuit, nec minor in pace. Quum enim Phalerico portu, neque magno neque bono Athenienses uterentur, hujus consilio triplex Piraei portus constitutus est; isque moenibus circumdatus, ut ipsam urbem dignitate aequipararet, utilitate superaret. Idemque muros Atheniensium restituit praecipuo periculo suo. Namque Lacedaemonii, causam idoneam nacti, propter barbarorum excursiones, quâ negarent oportere extra Peloponnesum ullam urbem haberi, ne essent loca munita, quae hostes possiderent, Athenienses aedificantes prohibere sunt conati. Hoc longe alio spectabat atque videri volebant. Athenienses enim duabus victoriis, Marathoniâ et Salaminiâ, tantam gloriam apud omnes gentes erant consecuti, ut intelligerent Lacedaemonii, de principatu sibi cum his certamen fore: quare eos quam infirmissimos esse volebant. Postquam autem audierunt muros instrui, legatos Athenas miserunt qui id fieri vetarent. His praesentibus desierunt, ac se de eâ re legatos ad eos missuros dixerunt. Hanc legationem suscepit Themistocles, et solus primo profectus est; reliqui legati ut tum exirent, quum satis altitudo muri exstructa videretur, praecepit; interim omnes servi atque liberi opus facerent, neque ulli loco parcerent, sive sacer esset, sive profanus, sive privatus, sive publicus; et undique, quod idoneum ad muniendum putarent, congererent. Quo factum est, ut Atheniensium muri ex sacellis sepulcrisque constarent.

Cap. VII. *Spartanos arte elusos Themistocles acriter reprehendit.*

Themistocles autem, ut Lacedaemonem venit, adire ad magistratus noluit, et dedit operam, ut quam longissime tempus duceret, causam interponens, se collegas exspectare. Quum Lacedaemonii quererentur, opus nihilominus fieri, eumque eâ re conari fallere, interim reliqui legati sunt consecuti. A quibus quum audisset,

non multum superesse munitionis, ad Ephoros Lacedaemoniorum accessit, penes quos summum imperium erat, atque apud eos contendit, falsa his esse delata; quare aequum esse, illos bonos viros nobilesque mittere, quibus fides haberetur, qui rem explorarent; interea se obsidem retinerent. Gestus est ei mos; tresque legati, functi summis honoribus, Athenas missi sunt. Cum his collegas suos Themistocles jussit proficisci; eisque praedixit, ut ne prius Lacedaemoniorum legatos dimitterent, quam ipse esset remissus. Hos postquam Athenas pervenisse ratus est, ad magistratum senatumque Lacedaemoniorum adiit, et apud eos liberrime professus est, Athenienses suo consilio, quod communi jure gentium facere possent, deos publicos, suosque patrios ac penates, quo facilius ab hoste possent defendere, muris sepsisse: neque eo, quod inutile esset Graeciae, fecisse; nam illorum urbem, ut propugnaculum, oppositam esse barbaris; apud quam jam bis classis regia fecisset naufragium: Lacedaemonios autem male et injuste facere qui id potius intuerentur, quod ipsorum dominationi, quam quod universae Graeciae utile esset. Quare, si suos legatos recipere vellent, quos Athenas miserant, se remitterent: aliter illos nunquam in patriam essent recepturi.

CAP. VIII. *Themistocles in exilium ejectus, variâ fugâ agitatur.*

TAMEN non effugit civium suorum invidiam: namque ob eundem timorem, quo damnatus erat Miltiades, testularum suffragiis e civitate ejectus, Argos habitatum concessit. Hic quum propter multas ejus virtutes magnâ cum dignitate viveret, Lacedaemonii legatos Athenas miserunt, qui eum absentem accusarent quod societatem cum rege Persarum, ad Graeciam opprimendam, fecisset. Hoc crimine absens proditionis est damnatus. Id ut audivit, quod non satis tutum se Argis videbat, Corcyram demigravit. Ibi quum ejus principes civitatis animadvertisset timere, ne propter se bellum his Lacedaemonii et Athenienses indicerent, ad Admetum Molossorum regem, cum quo ei hospitium

fuerat, confugit. Huc quum venisset, et in praesentiâ rex abesset, quo majore religione se receptum tueretur, filiam ejus parvulam arripuit, et cum eâ se in sacrarium, quod summâ colebatur caeremoniâ, conjecit. Inde non prius egressus est, quam rex eum, datâ dextrâ in fidem reciperet, quam praestitit. Nam quum ab Atheniensibus et Lacedaemoniis exposceretur publice, supplicem non prodidit, monuitque ut consuleret sibi: difficile enim esse in tam propinquo loco tuto eum versari. Itaque Pydnam eum deduci jussit, et quod satis esset praesidii dedit. Hic in navem omnibus ignotus ascendit: quae quum tempestate maximâ Naxum ferretur, ubi tum Atheniensium erat exercitus, sensit Themistocles, si eo pervenisset, sibi esse pereundum. Hâc necessitate coactus, domino navis quis sit aperit, multa pollicens si se conservâsset. At ille, clarissimi viri captus misericordiâ, diem noctemque procul ab insulâ in salo navem tenuit in ancoris, neque quemquam ex eâ exire passus est. Inde Ephesum pervenit, ibique Themistoclem exponit: cui ille pro meritis gratiam postea retulit.

Cap. IX. *Themistoclis ad Artaxerxem literae.*

Scio plerosque ita scripsisse, Themistoclem Xerxe regnante in Asiam transiisse. Sed ego potissimum Thucydidi credo, quod aetate proximus erat, qui illorum temporum historiam reliquerunt, et ejusdem civitatis fuit. Is autem ait, ad Artaxerxem eum venisse, atque his verbis epistolam misisse: *Themistocles veni ad te, qui plurima mala omnium Graiorum in domum tuam intuli, quum mihi necesse fuit adversus patrem tuum bellare, patriamque meam defendere. Idem multo plura bona feci, postquam in tuto ipse, et ille in periculo esse coepit. Nam quum in Asiam reverti nollet, proelio apud Salamina facto, literis eum certiorem feci, id agi, ut pons, quem in Hellesponto fecerat, dissolveretur, atque ab hostibus circumiretur; quo nuntio ille periculo est liberatus. Nunc autem confugi ad te, exagitatus a cunctâ Graeciâ, tuam petens amicitiam: quam si ero adeptus, non minus me bonum*

amicum habebis, quam fortem inimicum ille expertus est. Ea autem rogo, ut de his rebus, de quibus tecum loqui volo, annum mihi temporis des, eoque transacto me ad te venire patiaris.

CAP. X. *Themistocles linguam Persicam discit, reditus quarundam urbium accipit a rege; ejus mors et sepultura.*

HUJUS rex animi magnitudinem admirans, cupiensque talem virum sibi conciliari, veniam dedit. Ille omne illud tempus literis, sermonique Persarum dedit: quibus adeo eruditus est, ut multo commodius dicatur apud regem verba fecisse, quam hi poterant qui in Perside erant nati. Hic quum multa regi esset pollicitus, gratissimumque illud, *si suis uti consiliis vellet, illum Graeciam bello oppressurum;* magnis muneribus ab Artaxerxe donatus, in Asiam rediit, domiciliumque Magnesiae sibi constituit. Hanc urbem ei rex donaverat, his usus verbis, *quae ei panem praeberet;* ex quâ regione quinquaginta ei talenta quotannis redibant: Lampsacum, *unde vinum sumeret:* Myuntem, *ex quâ obsonium haberet.* Hujus ad nostram memoriam monumenta manserunt duo: sepulcrum prope oppidum, in quo est sepultus; statuae in foro Magnesiae. De cujus morte multis modis apud plerosque scriptum est; sed nos eundem potissimum *Thucydidem* auctorem probamus, qui *illum* ait *Magnesiae morbo mortuum;* neque negat *fuisse famam, venenum suâ sponte sumpsisse, quum se, quae regi de Graeciâ opprimendâ pollicitus esset, praestare posse desperaret.* Idem, *ossa ejus clam in Atticâ ab amicis esse sepulta, quoniam legibus non concederetur, quod proditionis esset damnatus,* memoriae prodidit.

III. ARISTIDES.

CAP. I. *Aristides Justus propter virtutem mulctatur exilio.*

ARISTIDES, Lysimachi filius, Atheniensis, aequalis fere fuit Themistocli. Itaque cum eo de principatu contendit. Namque obtrectârunt inter se. In his autem cognitum est quanto antistaret eloquentia innocentiae. Quamquam enim adeo excellebat Aristides abstinentiâ, ut unus post hominum memoriam, quod quidem nos audiverimus, cognomine *Justus* sit appellatus; tamen a Themistocle collabefactus, testulâ illâ exilio decem annorum mulctatus est. Qui quidem, quum intelligeret reprimi concitatam multitudinem non posse, cedensque animadverteret quendam scribentem ut patriâ pelleretur, quaesîsse ab eo dicitur, *quare id faceret, aut quid Aristides commisisset, cur tantâ poenâ dignus duceretur:* cui ille respondit, *se ignorare Aristidem, sed sibi non placere quod tam cupide elaborâsset ut praeter ceteros Justus appellaretur.* Hic decem annorum legitimam poenam non pertulit; nam postquam Xerxes in Graeciam descendit, sexto fere anno postquam erat expulsus, plebiscito in patriam restitutus est. Interfuit autem pugnae navali apud Salamina, quae facta est prius, quam poenâ liberaretur.

CAP. II. *Revocatus Aristides fit praetor; maris imperium Atheniensibus conciliat.*

IDEM praetor fuit Atheniensium apud Plataeas in proelio, quo Mardonius fusus, barbarorumque exercitus est interfectus. Neque aliud est ullum hujus in re militari illustre factum, quam hujus imperii memoria: justitiae vero, et aequitatis, et innocentiae, multa; imprimis, quod ejus aequitate factum est quum in communi classe esset Graeciae simul cum Pausaniâ, quo duce Mardonius erat fugatus, ut summa imperii maritimi a Lacedaemoniis transferretur ad Athenienses. Namque, ante id tempus, et mari et terrâ duces erant Lacedaemonii: tum autem et intemperantiâ Pausaniae, et justi-

tiâ factum est Aristidis, ut omnes fere civitates Graeciae ad Atheniensium societatem se applicarent; et adversus barbaros hos duces deligerent sibi, quo facilius repellerent, si forte bellum renovare conarentur.

CAP. III. *Ærario præest Aristides; pauper moritur.*

AD classes aedificandas exercitusque comparandos, quantum pecuniae quaeque civitas daret, Aristides delectus est qui constitueret. Ejus arbitrio quadringenta et sexaginta talenta quotannis Delum sunt collata. Id enim commune aerarium esse voluerunt. Quae omnis pecunia postero tempore Athenas translata est. Hic quâ fuerit abstinentiâ nullum est certius indicium, quam quod, quum tantis rebus praefuisset, in tantâ paupertate decessit, ut quî efferretur vix reliquerit. Quo factum est ut filiae ejus publice alerentur, et de communi aerario dotibus datis collocarentur. Decessit autem fere post annum quartum quam Themistocles Athenis erat expulsus.

IV. PAUSANIAS.

CAP. I. *Pausanias, Mardonii victor, fit insolens.*

PAUSANIAS Lacedaemonius, magnus homo, sed varius in omni genere vitae fuit: nam ut virtutibus eluxit, sic vitiis est obrutus. Hujus illustrissimum est proelium apud Plataeas: namque, illo duce, Mardonius, satrapes regius, natione Medus, regis gener, in primis omnium Persarum, et manu fortis, et consilii plenus, cum ducentis millibus peditum, quos viritim legerat, et viginti millibus equitum, haud ita magnâ manu, Graeciâ fugatus est, eoque ipse dux cecidit proelio. Quâ victoriâ elatus, plurima miscere coepit, et majora concupiscere. Sed primum in eo est reprehensus, quod ex praedâ tripodem aureum Delphis posuisset, epigrammate scripto, in quo erat haec sententia, *suo ductu barbaros apud Plataeas esse deletos, ejusque victoriae ergo,*

Apollini donum dedisse. Hos versus Lacedaemonii exculpserunt, neque aliud scripserunt, quam nomina earum civitatum quarum auxilio Persae erant victi.

CAP. II. *Pausanias Byzantium capit; captivos regios remittit.*

POST id proelium, eundem Pausaniam cum classe communi Cyprum atque Hellespontum miserunt, ut ex his regionibus barbarorum praesidia depelleret. Pari felicitate in eâ re usus, elatius se gerere coepit, majoresque appetere res. Nam quum, Byzantio expugnato, cepisset complures Persarum nobiles, atque in his nonnullos regis propinquos, hos clam Xerxi remisit, simulans ex vinculis publicis effugisse; et cum his Gongylum Eretriensem, qui literas regi redderet, in quibus haec fuisse scripta Thucydides memoriae prodidit: *Pausanias, dux Spartae, quos Byzantii ceperat, postquam propinquos tuos cognovit, tibi muneri misit; seque tecum affinitate conjungi cupit. Quare, si tibi videtur, des ei filiam tuam nuptum. Id si feceris, et Spartam et ceteram Graeciam sub tuam potestatem, te adjuvante, se redacturum pollicetur. His de rebus si quid geri volueris, certum hominem ad eum mittas face, cum quo colloquatur.* Rex tot hominum salute tam sibi necessariorum magnopere gavisus, confestim cum epistolâ Artabazum ad Pausaniam mittit, in quâ eum collaudat, ac petit *ne cui rei parcat ad ea perficienda quae pollicetur. Si fecerit, nullius rei a se repulsam laturum.* Hujus, Pausanias, voluntate cognitâ, alacrior ad rem gerendam factus, in suspicionem cecidit Lacedaemoniorum. In quo facto domum revocatus, accusatus capitis, absolvitur; mulctatur tamen pecuniâ: quam ob causam ad classem remissus non est.

CAP. III. *Pausaniae peregrini mores et carcer: Helotas solicitat.*

AT ille, post non multo, suâ sponte ad exercitum rediit, et ibi non callidâ, sed dementi ratione, cogitata patefecit. Non enim mores patrios solum, sed etiam

cultum vestitumque mutavit. Apparatu regio utebatur, veste Medicâ: satellites Medi et Aegyptii sequebantur: epulabatur more Persarum luxuriosius quam qui aderant perpeti possent: aditum petentibus conveniendi non dabat: superbe respondebat, et crudeliter imperabat: Spartam redire nolebat. Colonas, qui locus in agro Troade est, se contulerat: ibi consilia cum patriae tum sibi inimica capiebat. Id postquam Lacedaemonii resciverunt, legatos ad eum cum scytalâ miserunt, in quâ, more illorum, erat scriptum, *nisi domum reverteretur, se capitis eum damnaturos*. Hoc nuntio commotus, sperans, se etiam pecuniâ et potentiâ, instans periculum posse depellere, domum rediit. Huc ut venit, ab ephoris in vincula publica conjectus est. Licet enim legibus eorum cuivis ephoro hoc facere regi. Hinc tamen se expedivit: neque eo magis carebat suspicione: nam opinio manebat, eum cum rege habere societatem. Est genus quoddam hominum, quod *Helotes* vocatur, quorum magna multitudo agros Lacedaemoniorum colit, servorumque munere fungitur. Hos quoque solicitare spe libertatis existimabatur. Sed quod harum rerum nullum erat apertum crimen quo argui posset, non putabant de tali tamque claro viro suspicionibus oportere judicari, sed exspectandum dum se ipsa res aperiret.

Cap. IV. *Pausanias, Taenari in aede Neptuni observatus, se ipsum indicat.*

Interim Argilius quidam adolescentulus, quem puerum Pausanias amore venereo dilexerat, quum epistolam ab eo ad Artabazum accepisset, eique in suspicionem venisset, aliquid in eâ de se esse scriptum, quod nemo eorum rediisset qui super tali causâ eodem missi erant, vincula epistolae laxavit, signoque detracto cognovit, si pertulisset, sibi esse pereundum. Erant in eâdem epistolâ, quae ad ea pertinebant quae inter regem Pausaniamque convenerant. Has ille literas ephoris tradidit. Non est praetereunda gravitas Lacedaemoniorum hoc loco: nam ne hujus quidem indicio impulsi sunt, ut Pausaniam comprehenderent; neque prius vim

adhibendam putaverunt, quam se ipse indicâsset. Itaque huic indici, quid fieri vellent, praeceperunt. Fanum Neptuni est Taenari, quod violari nefas putant Graeci. Eo ille index confugit: in arâ consedit. Hanc juxta, locum fecerunt sub terrâ, ex quo posset audiri si quis quid loqueretur cum Argilio. Huc ex ephoris quidam descenderunt. Pausanias, ut audivit Argilium confugisse in aram, perturbatus eo venit; quem quum supplicem dei videret in arâ sedentem, quaerit causae quid sit tam repentini consilii. Huic ille, quid ex literis comperisset, aperit. Tanto magis Pausanias perturbatus orare coepit ne enuntiaret, nec se meritum de illo optime, proderet. Quod si eam veniam sibi dedisset, tantisque implicitum rebus sublevâsset, magno esse ei praemio futurum.

Cap. V. *Pausanias in Chalcioeco Minervae obstruitur, et mox interit.*

His rebus, ephori, cognitis, satius putaverunt in urbe eum comprehendi. Quo quum essent profecti, et Pausanias, placato Argilio, ut putabat, Lacedaemonem reverteretur, in itinere quum jam in eo esset ut comprehenderetur, e vultu cujusdam ephori, qui eum admonere cupiebat, insidias sibi fieri intellexit. Itaque paucis ante gradibus, quam qui sequebantur, in aedem Minervae, quae *Chalcioecus* vocatur, confugit. Hinc ne exire posset, statim ephori valvas ejus aedis obstruxerunt, tectumque sunt demoliti, quo facilius sub dio interiret. Dicitur eo tempore matrem Pausaniae vixisse, eamque, jam magno natu, postquam de scelere filii comperit, in primis, ad filium claudendum, lapidem ad introitum aedis attulisse. Sic Pausanias magnam belli gloriam turpi morte maculavit. Hic, quum semianimis de templo elatus esset, confestim animam efflavit. Cujus mortui corpus quum *eodem* nonnulli dicerent *inferri oportere, quo hi, qui ad supplicium essent dati;* displicuit pluribus; et procul ab eo loco infoderunt, quo erat mortuus. Inde posterius dei Delphici responso erutus, atque eodem loco sepultus, ubi vitam finierat.

V. CIMON.

Cap. I. *Cimonem e vinculis paternis uxor liberat, mutato matrimonio.*

Cimon, Miltiadis filius, Atheniensis, duro admodum initio usus est adolescentiae. Nam, cum pater ejus litem aestimatam populo solvere non potuisset, ob eamque causam in publicis vinculis decessisset, Cimon eâdem custodiâ tenebatur, neque legibus Atheniensium emitti poterat, nisi pecuniam, quâ pater mulctatus esset, solvisset. Habebat autem in matrimonio sororem suam germanam, nomine Elpinicen, non magis amore quam patrio more ductus. Nam Atheniensibus licet eodem patre natas uxores ducere. Hujus conjugii cupidus Callias quidam, non tam generosus quam pecuniosus, qui magnas pecunias ex metallis fecerat, egit cum Cimone ut eam sibi uxorem daret; id si impetrâsset, se pro illo pecuniam soluturum. Is quum talem conditionem aspernaretur, Elpinice negavit *se passuram Miltiadis progeniem in vinculis publicis interire, quoniam prohibere posset; seque Calliae nupturam, si ea, quae polliceretur, praestitisset.*

Cap. II *Cimonis res gestae ad Strymona, Amphipolim, Eurymedonta, et rebelles insulas.*

Tali modo custodiâ liberatus Cimon celeriter ad principatum pervenit. Habebat enim satis eloquentiae, summam liberalitatem, magnam prudentiam cum juris civilis, tum rei militaris, quod cum patre a puero in exercitu fuerat versatus. Itaque hic et populum urbanum in suâ tenuit potestate, et apud exercitum plurimum valuit auctoritate. Primum, imperator apud flumen Strymona magnas copias Thracum fugavit: oppidum Amphipolim constituit, eoque decem millia Atheniensium in coloniam misit. Idem iterum apud Mycalen Cypriorum et Phoenicum ducentarum navium classem devictam cepit: eodemque die pari fortunâ in terrâ usus est; namque hostium navibus captis, statim ex classe copias suas eduxit, barbarorum uno concursu

maximam vim prostravit. Quâ victoriâ magnâ praedâ potitus, quum domum reverteretur, quod jam nonnullae insulae propter acerbitatem imperii defecerant, bene animatas confirmavit, alienatas ad officium redire coegit. Scyrum, quam eo tempore Dolopes incolebant, quod contumacius se gesserat, vacuefecit, possessores veteres urbe insulâque ejecit, agros civibus divisit. Thasios opulentiâ fretos suo adventu fregit. His ex manubiis arx Athenarum, quâ ad meridiem vergit, est ornata.

Cap. III. *Ostracismo Cimon ejicitur, sed restitutus; pace cum Spartanis conciliatâ, in oppugnatione Citii moritur.*

Quibus rebus quum unus in civitate maxime floreret, incidit in eandem invidiam quam pater suus ceterique Atheniensium principes: nam testarum suffragiis, quod illi *ostracismum* vocant, decem annorum exilio mulctatus est. Cujus facti celerius Athenienses quam ipsum poenituit; nam, quum ille, forti animo, invidiae ingratorum civium cessisset, bellumque Lacedaemonii Atheniensibus indixissent, confestim notae ejus virtutis desiderium consecutum est. Itaque, post annum quintum quo expulsus erat, in patriam revocatus est. Ille, quod hospitio Lacedaemoniorum utebatur, satius existimans eos et cives suos inter se unâ voluntate consentire, quam armis contendere, Lacedaemonem suâ sponte est profectus, pacemque inter duas potentissimas civitates conciliavit. Post neque ita multo, in Cyprum cum ducentis navibus imperator missus, quum ejus majorem partem insulae devicisset, in morbum implicitus, in oppido Citio est mortuus.

Cap. IV. *Cimonis summa liberalitas.*

Hunc Athenienses, non solum in bello, sed in pace diu desideraverunt. Fuit enim tantâ liberalitate, quum compluribus locis praedia hortosque haberet, ut nunquam in eis custodem imposuerit fructus servandi gratiâ, ne quis impediretur quominus ejus rebus, quibus

vellet, frueretur. Semper eum pedisequi cum nummis sunt secuti, ut, si quis opis ejus indigeret, haberet quod statim daret, ne differendo videretur negare. Saepe, quum aliquem offensum fortuna videret minus bene vestitum, suum amiculum dedit. Quotidie sic coena ei coquebatur, ut quos invocatos vidisset in foro, omnes devocaret; quod facere nullum diem praetermittebat. Nulli fides ejus, nulli opera, nulli res familiaris defuit. Multos locupletavit; complures pauperes mortuos, qui, unde efferrentur, non reliquissent, suo sumptu extulit. Sic se gerendo, minime est mirandum, si et vita ejus fuit secura, et mors acerba.

VII. ALCIBIADES.

Cap. I. *Alcibiades et vitiis et virtutibus celebris.*

Alcibiades, Cliniæ filius, Atheniensis. In hoc, natura, quid efficere possit, videtur experta. Constat enim inter omnes qui de eo memoriæ prodiderunt, nihil illo fuisse excellentius, vel in vitiis vel in virtutibus. Natus in amplissimâ civitate, summo genere, omnium aetatis suae multo formosissimus, ad omnes res aptus, consiliique plenus; namque imperator fuit summus mari et terrâ: disertus, ut imprimis dicendo valeret; et tanta erat commendatio oris atque orationis, ut nemo ei dicendo posset resistere. Idem, quum tempus posceret, laboriosus, patiens, liberalis, splendidus non minus in vitâ quam victu; affabilis, blandus, temporibus callidissime inserviens: idem, simul ac se remiserat, nec causa suberat, quare animi laborem perferret, luxuriosus, dissolutus, libidinosus, intemperans, reperiebatur: ut omnes admirarentur, in uno homine tantam inesse dissimilitudinem, tamque diversam naturam.

Cap. II. *Alcibiadis præceptores: adolescens amatus est, et ipse amavit.*

Educatus est in domo Periclis, (privignus enim ejus fuisse dicitur,) eruditus a Socrate: socerum habuit Hipponicum, omnium Græcâ linguâ loquentium ditis-

simum: ut, si ipse fingere vellet, neque plura bona reminisci, neque majora posset consequi, quam vel fortuna vel natura tribuerat. Ineunte adolescentiâ, amatus est a multis, more Graecórum: in eis a Socrate, de quo mentionem facit Plato in *Symposio.* Namque eum induxit commemorantem, *se pernoctâsse cum Socrate, neque aliter ab eo surrexisse ac filius a parente debuerit.* Posteaquam robustior est factus, non minus multos amavit, in quorum amore, quoad licitum est, odiosa multa delicate, jocoseque fecit: quae referremus, nisi majora potioraque haberemus.

CAP. III. *Belli dux Alcibiades contra Syracusas in suspicionem venit.*

BELLO Peloponnesiaco, hujus consilio atque auctoritate Athenienses bellum Syracusanis indixerunt: ad quod gerendum ipse dux delectus est. Duo praeterea collegae dati, Nicias et Lamachus. Id quum appararetur, prius quam classis exiret, accidit ut unâ nocte omnes Hermae, qui in oppido erant Athenis dejicerentur, praeter unum, qui ante januam Andocidis erat, *Andocidisque Hermes* vocatus est. Hoc quum appareret, non sine magnâ multorum consensione esse factum, quod non ad privatam sed ad publicam rem pertineret, magnus multitudini timor est injectus, ne qua repentina vis in civitate existeret, quae libertatem opprimeret populi. Hoc maxime convenire in Alcibiadem videbatur, quod et potentior et major quam privatus, existimabatur. Multos enim liberalitate devinxerat, plures etiam operâ forensi suos reddiderat. Quare fiebat, ut omnium oculos, quotiescunque in publicum prodiisset, ad se converteret, neque ei par quisquam in civitate poneretur. Itaque non solum in eo spem habebant maximam, sed etiam timorem, quod et obesse plurimum et prodesse poterat. Aspergebatur etiam infamiâ, quod in domo suâ facere mysteria dicebatur; quod nefas erat more Atheniensium: idque non ad religionem, sed ad conjurationem, pertinere existimabatur.

CAP. IV. *Alcibiades domum vocatus devovetur, ideoque Spartanis inservit.*

Hoc crimine in concione ab inimicis compellabatur. Sed instabat tempus ad bellum proficiscendi. Id ille intuens, neque ignorans civium suorum consuetudinem, postulabat *ut, si quid de se agi vellent, potius de praesenti quaestio haberetur, quam absens invidiae crimine accusaretur.* Inimici vero ejus, quiescendum in praesenti, quia nocere se ei non posse intelligebant, et illud tempus expectandum decreverunt, quo exiisset, ut sic absentem aggrederentur; itaque fecerunt. Nam postquam in Siciliam eum pervenisse crediderunt, absentem, *quod sacra violâsset,* reum fecerunt. Quâ de re quum ei nuntius a magistratu in Siciliam missus esset, ut domum ad causam dicendam rediret, essetque in magnâ spe provinciae bene administrandae, non parere noluit, et in triremem, quae ad eum deportandum erat missa, ascendit; ac Thurios in Italiam pervectus, multa secum reputans de immoderatâ civium suorum licentiâ, crudelitateque erga nobiles, utilissimum ratus impendentem evitare tempestatem, clam se a custodibus subduxit, et inde primum Elidem, deinde Thebas, venit. Postquam autem *se capitis damnatum, bonis publicatis,* audivit, et, id quod usu venerat, *Eumolpidas sacerdotes a populo coactos ut se devoverent, ejusque devotionis, quo testatior esset memoria, exemplum in pilâ lapideâ incisum, esse positum in publico,* Lacedaemonem demigravit. Ibi (ut ipse praedicare consueverat) *non adversus patriam, sed inimicos suos* bellum gessit, *quod iidem hostes essent civitati: nam, quum intelligerent se plurimum prodesse reipublicae, ex eâ ejecisse, plusque irae suae quam utilitati communi paruisse.* Itaque hujus consilio Lacedaemonii cum Persarum rege amicitiam fecerunt: deinde Deceliam in Atticâ munierunt, praesidioque perpetuo ibi posito, in obsidione Athenas tenuerunt. Ejusdem operâ Ioniam a societate averterunt Atheniensium: quo facto, multo superiores bello esse coeperunt.

CAP. V. *Spartanis suspectus Alcibiades, ad Tissaphernem venit, et Atheniensium exercitui conciliatur.*

NEQUE vero his rebus tam amici Alcibiadi sunt facti, quam timore ab eo alienati. Nam, quum acerrimi viri praestantem prudentiam in omnibus rebus cognoscerent, pertimuerunt ne, caritate patriae ductus, aliquando ab ipsis descisceret, et cum suis in gratiam rediret. Itaque tempus ejus interficiendi quaerere instituerunt. Id Alcibiadi diutius celari non potuit: erat enim eâ sagacitate, ut decipi non posset, praesertim quum animum attendisset ad cavendum. Itaque ad Tissaphernem praefectum regis Darii se contulit. Cujus quum in intimam amicitiam pervenisset, et Atheniensium, male gestis in Siciliâ rebus, opes senescere, contra Lacedaemoniorum crescere, videret; initio cum Pisandro praetore, qui apud Samum exercitum habebat, per internuntios colloquitur, et de reditu suo facit mentionem. Erat enim eodem quo Alcibiades sensu, populi potentiae non amicus, et optimatum fautor. Ab hoc destitutus, primum per Thrasybulum Lyci filium, ab exercitu recipitur, praetorque fit apud Samum. Post, suffragante Theramene, plebiscito restituitur, parique absens imperio praeficitur simul cum Thrasybulo et Theramene. Horum imperio, tanta commutatio rerum facta est, ut Lacedaemonii, qui paulo ante victores viguerant, perterriti, pacem peterent. Victi enim erant quinque proeliis terrestribus, tribus navalibus; in quibus ducentas naves triremes amiserant, quae captae in hostium venerant potestatem. Alcibiades simul cum collegis receperat Ioniam, Hellespontum, multas praeterea urbes Graecas, quae in orâ sitae sunt Asiae, quarum expugnaverant complures; in his Byzantium. Neque minus multas consilio ad amicitiam adjunxerant, quod in captos clementiâ fuerant usi. Ita praedâ onusti, locupletato exercitu, maximis rebus gestis, Athenas venerunt.

CAP. VI. *Alcibiades bene domi exceptus resecratur.*

HIS quum obviam universa civitas in Piraeum descendisset, tanta fuit omnium expectatio visendi Alcibia-

dis, ut ad ejus triremem vulgus conflueret, perinde ac si solus advenisset. Sic enim populo erat persuasum, et adversas superiores, et praesentes secundas res accidisse ejus operâ. Itaque et Siciliae amissum, et Lacedaemoniorum victorias, culpae suae tribuebant, quod talem virum e civitate expulissent. Neque id sine causâ arbitrari videbantur: nam postquam exercitui praeesse coeperat, neque terrâ, neque mari, hostes pares esse potuerant. Hic ut navi egressus est, quamquam Theramenes et Thrasybulus eisdem rebus praefuerant, simulque venerant in Piraeum, tamen illum unum omnes prosequebantur: et, id quod nunquam antea usu venerat, nisi Olympiae victoribus, coronis aureis aeneisque vulgo donabatur. Ille lacrymans talem benevolentiam civium suorum accipiebat, reminiscens pristini temporis acerbitatem. Postquam Astu venit, concione advocatâ, sic verba fecit, ut nemo tam ferus fuerit, quin ejus casum lacrymârit, inimicumque his se ostenderit, quorum operâ patriâ pulsus fuerat: perinde ac si alius populus, non ille ipse qui tum flebat, eum sacrilegii damnâsset. Restituta ergo huic sunt publice bona, iidemque illi Eumolpidae sacerdotes rursus resecrare sunt coacti, qui eum devoverant; pilaeque illae, in quibus devotio fuerat scripta, in mare praecipitatae.

Cap. VII. *Minus felix Alcibiades in invidiam recidit.*

Haec Alcibiadi laetitia minus fuit diuturna. Nam quum ei essent omnes honores decreti, totaque respublica domi bellique tradita, ut unius arbitrio gereretur, et ipse postulâsset ut duo sibi collegae darentur Thrasybulus et Adimantus, neque id negatum esset; classe in Asiam profectus, quod apud Cymen minus ex sententiâ rem gesserat, in invidiam recidit. Nihil enim eum non efficere posse ducebant. Ex quo fiebat, ut omnia minus prospere gesta ejus culpae tribuerent, quum eum aut negligenter aut malitiose fecisse loquerentur; sicut accidit: *nam corruptum a rege capere Cymen noluisse,* arguebant. Itaque huic maxime putamus mali causam fuisse nimiam opinionem ingenii atque virtutis: timebatur enim non minus quam diligebatur, ne, secundâ

fortunâ magnisque elatus opibus, tyrannidem concupisceret. Quibus rebus factum est, ut absenti magistratum abrogarent; et alium in ejus locum substituerent. Id ille ut audivit, domum reverti noluit, et se Perinthum contulit; ibique tria castella communivit, Bornos, Byziam, Macrontichos; manuque collectâ, primus Graeciae civitatis in Thraciam introiit, gloriosius existimans barbarorum praedâ locupletari, quam Graiorum. Quâ ex re creverat cum famâ, tum opibus, magnamque amicitiam sibi cum quibusdam regibus Thraciae pepererat.

Cap. VIII. *Civibus, quantum potest, Alcibiades consulit.*

Neque tamen a caritate patriae potuit recedere. Nam quum apud Aegos flumen Philocles praetor Atheniensium classem constituisset suam, neque longe abesset Lysander, praetor Lacedaemoniorum, qui in eo erat occupatus, ut bellum quam diutissime duceret, quod ipsis pecunia a rege suppeditabatur; contra Atheniensibus exhaustis, praeter arma et naves nihil erat super; Alcibiades ad Atheniensium venit exercitum, ibique, praesente vulgo, agere coepit, *si vellent, se coacturum Lysandrum aut dimicare aut pacem petere: Lacedaemonios eo nolle confligere classe, quod pedestribus copiis plus quam navibus valerent; sibi autem esse facile, Seuthen regem Thracum deducere, ut eos terrâ depelleret: quo facto, necessario aut classe conflicturos, aut bellum composituros.* Id etsi vere dictum Philocles animadvertebat tamen postulata facere noluit, quod sentiebat, se, Alcibiade recepto, nullius momenti apud exercitum futurum, et si quid secundi evenisset, nullam in eâ re suam partem fore; contra ea, si quid adversi accidisset, se unum ejus delicti futurum reum. Ab hoc discedens Alcibiades, *Quoniam*, inquit, *victoriae patriae repugnas, illud moneo: juxta hostes castra habeas nautica; periculum est enim, ne immodestiâ militum nostrorum occasio detur Lysandro nostri opprimendi exercitûs.* Neque ea res illum fefellit: nam Lysander, quum per speculatores comperisset, vulgum

Atheniensium in terram praedatum exiisse, navesque pene inanes relictas, tempus rei gerendae non dimisit, eoque impetu totum bellum delevit.

Cap. IX. *Alcibiades, spe patriae orbatus, ad Pharnabazum se confert.*

At Alcibiades, victis Atheniensibus, non satis tuta eadem loca sibi arbitrans, penitus in Thraciam se supra Propontidem abdidit, sperans ibi facillime suam fortunam occuli posse: falso. Nam Thraces postquam eum cum magnâ pecuniâ venisse senserunt, insidias ei fecerunt; qui ea, quae apportavit, abstulerunt, ipsum capere non potuerunt. Ille cernens nullum locum sibi tutum in Graeciâ, propter potentiam Lacedaemoniorum, ad Pharnabazum in Asiam transiit. Quem quidem adeo suâ cepit humanitate, ut eum nemo in amicitiâ antecederet. Namque ei Grunium dederat in Phrygiâ castrum, ex quo quinquaginta talenta vectigalis capiebat. Quâ fortunâ Alcibiades non erat contentus, neque Athenas victas Lacedaemoniis servire poterat pati. Itaque ad patriam liberandam omni ferebatur cogitatione. Sed videbat id sine rege Persarum non posse fieri, ideoque eum amicum sibi cupiebat adjungi. Neque dubitabat facile se consecuturum, si modo ejus conveniendi habuisset potestatem. Nam Cyrum fratrem ei bellum clam parare, Lacedaemoniis adjuvantibus, sciebat. Id si ei aperuisset, magnam se ab eo initurum gratiam videbat.

Cap. X. *Apud Pharnabazum in insidiis Alcibiades conficitur.*

Haec quum moliretur, peteretque a Pharnabazo ut ad regem mitteretur, eodem tempore Critias ceterique tyranni Atheniensium certos homines ad Lysandrum in Asiam miserunt, qui eum certiorem facerent, *nisi Alcibiadem sustulisset, nihil earum rerum fore ratum, quas ipse Athenis constituisset; quare, si suas res gestas manere vellet, illum persequeretur.* His Lacon rebus commotus, statuit accuratius sibi agendum cum Phar-

nabazo. Huic ergo renuntiat, *societatem, quae regi cum Lacedaemoniis esset, stare non posse, foederaque irrita futura, nisi Alcibiadem vivum aut mortuum tradidisset.* Non tulit hoc satrapes, et violare clementiam, quam regis opes minui, maluit. Itaque misit Sysamithren et Bagaeum ad Alcibiadem interficiendum, quum ille esset in Phrygiâ, iterque ad regem pararet. Missi clam vicinitati, in quâ tum Alcibiades erat, dant negotium ut eum interficiant. Illi, quum eum ferro aggredi non auderent, noctu ligna contulerunt circa casam eam in quâ quiescebat, eamque succenderunt, ut incendio conficerent, quem manu superari posse diffidebant. Ille autem, sonitu flammae excitatus, quod gladius ei erat subductus, familiaris sui subalare telum eripuit. Namque erat cum eo quidam ex Arcadiâ hospes, qui nunquam discedere voluerat. Hunc sequi se jubet, et id quod in praesentiâ vestimentorum fuit arripuit. His in ignem ejectis, flammae vim transiit. Quem ut barbari incendium effugisse viderunt, eminus telis missis interfecerunt, caputque ejus ad Pharnabazum retulerunt. At mulier, quae cum eo vivere consueverat, muliebri suâ veste contectum, aedificii incendio mortuum cremavit, quod ad vivum interimendum erat comparatum. Sic Alcibiades, annos circiter quadraginta natus, diem obiit supremum.

Cap. XI. *Alcibiades infamatus et laudatus.*

Hunc infamatum a plerisque, tres gravissimi historici summis laudibus extulerunt: Thucydides, qui ejusdem aetatis fuit; Theopompus, qui fuit post aliquanto natus; et Timaeus: qui quidem duo maledicentissimi, nescio quo modo, in illo uno laudando consenserunt. Nam ea quae supra diximus de eo praedicârunt, atque hoc amplius: *quum Athenis splendidissimâ civitate natus esset, omnes Athenienses splendore ac dignitate vitae superâsse. Postquam inde expulsus Thebas venerit, adeo studiis eorum inservîsse, ut nemo eum labore corporisque viribus posset aequiparare:* omnes enim Boeotii magis firmitati corporis quam ingenii acumini inserviunt. *Eundem apud Lace-*

daemonios, quorum moribus summa virtus in patientiâ ponebatur, sic duritiae se dedisse, ut parcimoniâ victûs atque cultûs omnes Lacedaemonios vinceret. Fuisse apud Thracas homines vinolentos, rebusque venereis deditos; hos quoque in his rebus antecessisse. Venisse ad Persas, apud quos summa laus esset fortiter venari, luxuriose vivere; horum sic imitatum consuetudinem, ut illi ipsi eum in his maxime admirarentur. Quibus rebus effecisse ut, apud quoscunque esset, princeps poneretur, habereturque carissimus. Sed satis de hoc: reliquos ordiamur.

XV. EPAMINONDAS.

Cap. I. *Praefatio et dispositio.*

Epaminondas, Polymni filius, Thebanus. De hoc priusquam scribamus, haec praecipienda videntur lectoribus, ne alienos mores ad suos referant, neve ea, quae ipsis leviora sunt, pari modo apud ceteros fuisse arbitrentur. Scimus enim, musicen nostris moribus abesse a principis personâ, saltare vero etiam in vitiis poni; quae omnia apud Graecos et grata, et laude digna ducuntur. Quum autem exprimere imaginem consuetudinis atque vitae velimus Epaminondae, nihil videmur debere praetermittere, quod pertineat ad eam declarandam. Quare dicemus primum de genere ejus; deinde quibus disciplinis, et a quibus sit eruditus; tum de moribus ingeniique facultatibus, et si qua alia digna memoriâ erunt: postremo de rebus gestis, quae a plurimis omnium anteponuntur virtutibus.

Cap. II. *Epaminondae pueritia et adolescentia.*

Natus igitur patre, quo diximus, honesto genere, pauper jam a majoribus relictus. Eruditus autem sic, ut nemo Thebanus magis: nam et citharizare et cantare ad chordarum sonum doctus est a Dionysio, qui non minore fuit in musicis gloriâ, quam Damon, aut Lamprus, quorum pervulgata sunt nomina; carmina cantare tibiis

ab Olympiodoro: saltare a Calliphrone. At philosophiae praeceptorem habuit Lysim Tarentinum, Pythagoreum: cui quidem sic fuit deditus, ut adolescens tristem et severum senem omnibus aequalibus suis in familiaritate anteposuerit; neque prius eum a se dimiserit, quam doctrinis tanto antecesserit condiscipulos, ut facile intelligi posset, pari modo superaturum omnes in ceteris artibus. Atque haec ad nostram consuetudinem sunt levia, et potius contemnenda: at in Graeciâ utique olim magnae laudi erant. Postquam ephebus factus est, et palaestrae dare operam coepit, non tam magnitudini virium servivit, quam velocitati; illam enim ad athletarum usum, hanc ad belli existimabat utilitatem pertinere; itaque exercebatur plurimum currendo et luctando, ad eum finem, quoad stans complecti posset, atque contendere. In armis plurimum studii consumebat.

Cap. III. *Epaminondae animi virtutes, studium audiendi, paupertatis patientia, liberalitas.*

Ad hanc corporis firmitatem plurima etiam animi bona accesserant: erat enim modestus, prudens, gravis, temporibus sapienter utens; peritus belli, fortis manu, animo maximo; adeo veritatis diligens, ut ne joco quidem mentiretur; item continens, clemens, patiensque admirandum in modum; non solum populi, sed etiam amicorum ferens injurias, imprimisque commissa celans; *quod interdum non minus prodest, quam diserte dicere;* studiosus audiendi: ex hoc enim facillime disci arbitrabatur. Itaque quum in circulum venisset, in quo aut de republicâ disputaretur, aut de philosophiâ sermo haberetur; nunquam inde prius discessit, quam ad finem sermo esset adductus. Paupertatem adeo facile perpessus est, ut de republicâ nihil praeter gloriam ceperit. Amicorum in se tuendo caruit facultatibus; fide ad alios sublevandos saepe sic usus est, ut possit judicari, omnia ei cum amicis fuisse communia: nam quum aut civium suorum aliquis ab hostibus fuisset captus, aut virgo amici nubilis propter paupertatem collocari non posset, amicorum concilium habebat, et

quantum quisque daret pro facultatibus imperabat: eamque summam quum faceret, priusquam acciperet pecuniam, adducebat eum, qui quaerebat, ad eos, qui conferebant, eique ut ipsi numerarent, faciebat; ut ille, ad quem ea res perveniebat, sciret, quantum cuique deberet.

CAP. IV. *Epaminondae abstinentia tentata.*

TENTATA autem ejus est abstinentia a Diomedonte Cyziceno: namque is, rogatu Artaxerxis, Epaminondam pecuniâ corrumpendum susceperat. Hic magno cum pondere auri Thebas venit, et Micythum adolescentulum quinque talentis ad suam perduxit voluntatem, quem tum Epaminondas plurimum diligebat. Micythus Epaminondam convenit, et causam adventûs Diomedontis ostendit. At ille Diomedonte coram: *Nihil*, inquit, *opus pecuniâ est: nam si ea rex vult, quae Thebanis sint utilia, gratis facere sum paratus; sin autem contraria, non habet auri atque argenti satis; namque orbis terrarum divitias accipere nolo, pro patriae caritate. Te, qui me incognitum tentâsti, tuique similem existimâsti, non miror; tibi ignosco: sed egredere propere, ne alios corrumpas, quum me non potueris. Tu, Micythe, argentum huic redde; nisi id confestim facis, ego te tradam magistratui.* Hunc Diomedon quum rogaret, ut tuto exire, suaque quae attulisset, liceret efferre: *Istud*, inquit, *faciam, neque tuâ causâ, sed meâ; ne, si tibi sit pecunia adempta, aliquis dicat, id ad me ereptum pervenisse, quod delatum accipere noluissem.* A quo quum quaesîsset, *quo se duci vellet*, et ille, *Athenas*, diceret, praesidium dedit, ut eo tuto perveniret; neque vero id satis habuit, sed etiam ut inviolatus in navem ascenderet per Chabriam Atheniensem, de quo supra mentionem fecimus, effecit. Abstinentiae erit hoc satis testimonium. Plurima quidem proferre possemus; sed modus adhibendus est, quoniam uno hoc volumine *vitas excellentium virorum complurium* concludere constituimus, quorum separatim multis millibus versuum complures scriptores ante nos explicarunt.

Cap. V. *Epaminondae dicta arguta contra Meneclidem.*

Fuit et disertus, ut nemo Thebanus ei par esset eloquentiâ, neque minus concinnus in brevitate respondendi, quam in perpetuâ oratione ornatus. Habuit obtrectatorem Meneclidem quendam, indidem Thebis, et adversarium in administrandâ republicâ, satis exercitatum in dicendo, ut Thebanum scilicet; namque illi genti plus inest virium quâm ingenii. Is, quod in re militari florere Epaminondam videbat, hortari solebat Thebanos, ut pacem bello anteferrent, ne illius imperatoris opera desideraretur. Huic ille: *Fallis*, inquit, *verbo cives tuos, quod hos a bello avocas; otii enim nomine servitutem concilias. Nam paritur pax bello; itaque, qui eâ diutinâ volunt frui, bello exercitati esse debent. Quare si principes Graeciae esse vultis, castris est vobis utendum, non palaestrâ.* Idem ille Meneclides quum huic objiceret, quod liberos non haberet, neque uxorem duxisset, maximeque insolentiam, quod sibi Agamemnonis belli gloriam videretur consecutus: at ille, *Desine*, inquit, *Meneclide, de uxore mihi exprobrare; nam nullius in istâ re minus uti consilio volo.* Habebat enim Meneclides suspicionem adulterii. *Quod autem me Agamemnonem aemulari putas, falleris; namque ille cum universâ Graeciâ vix decem annis unam cepit urbem, ego contra, ex unâ urbe nostrâ, dieque uno, totam Graeciam, Lacedaemoniis fugatis, liberavi.*

Cap. VI. *Epaminondae dicta contra Callistratum, maxime contra Spartanos.*

Idem quum in conventum venisset Arcadum, petens, ut societatem cum Thebanis et Argivis facerent; contraque Callistratus, Atheniensium legatus, qui eloquentiâ omnes eo praestabat tempore, postularet, ut potius amicitiam sequerentur Atticorum, et in oratione suâ multa invectus esset in Thebanos et Argivos, in eisque hoc posuisset, *animadvertere debere Arcadas, quales utraque civitas cives procreâsset, ex quibus de ceteris*

possent judicare. Argivos enim fuisse Orestem et Alcmaeonem, matricidas; Thebis Oedipum natum, qui, quum patrem suum interfecisset, ex matre liberos procreâsset. Hic in respondendo Epaminondas, quum de ceteris perorâsset, postquam ad illa duo opprobria pervenit; *Admirari, se,* dixit, *stultitiam rhetoris Attici, qui non animadverteret, innocentes illos natos, domi scelere admisso, quum patriâ essent expulsi, receptos esse ab Atheniensibus.* Sed maxime ejus eloquentia eluxit Spartae legati ante pugnam Leuctricam. Quo quum omnium sociorum convenissent legati, coram frequentissimo legationum conventu sic Lacedaemoniorum tyrannidem coarguit, ut non minus illâ oratione opes eorum concusserit quam Leuctricâ pugnâ. Tum enim perfecit, quod post apparuit, ut auxilio sociorum Lacedaemonii privarentur.

Cap. VII. *Injuriarum oblivio: imperii diuturnior usurpatio.*

Fuisse patientem, suorumque injurias ferentem civium, quod se patriae irasci nefas esse duceret, haec sunt testimonia. Quum eum, propter invidiam, cives praeficere exercitui noluissent, duxque esset delectus belli imperitus, cujus errore eo esset deducta illa multitudo militum, ut omnes de salute pertimescerent, quod locorum angustiis clausi ab hostibus obsidebantur, desiderari coepta est Epaminondae diligentia; erat enim ibi privatus numero militum: a quo quum peterent opem, nullam adhibuit memoriam contumeliae, et exercitum obsidione liberatum, domum reduxit incolumem. Neque vero hoc semel fecit, sed saepius. Maxime autem fuit illustre, quum in Peloponnesum exercitum duxisset adversus Lacedaemonios, haberetque collegas duos, quorum alter erat Pelopidas, vir fortis ac strenuus. Hic quum criminibus adversariorum omnes in invidiam venissent, ob eamque rem imperium his esset abrogatum, atque in eorum locum alii praetores successissent; Epaminondas plebiscito non paruit, idemque ut facerent persuasit collegis, et bellum, quod susceperat, gessit. Namque animadvertebat, nisi id fecisset, totum

exercitum, propter praetorum imprudentiam inscitiamque belli, periturum. Lex erat Thebis quae morte mulctabat, si quis imperium diutius retinuisset, quam lege praefinitum foret. Hanc Epaminondas quum reipublicae conservandae causâ latam videret, ad perniciem civitatis conferre noluit, et quatuor mensibus diutius, quam populus jusserat, gessit imperium.

Cap. VIII. *Epaminondae accusati defensio.*

Postquam domum reditum est, collegae ejus hoc crimine accusabantur. Quibus ille permisit, omnem ut causam in se transferrent, suâque operâ factum contenderent, ut legi non obedirent. Quâ defensione illis periculo liberatis, nemo Epaminondam responsurum putabat, quod, quid diceret, non haberet. At ille in judicium venit; nihil eorum negavit, quae adversarii crimini dabant, omniaque, quae collegae dixerant, confessus est; neque recusavit, quominus legis poenam subiret, sed unum ab iis petivit, ut in periculo suo conscriberent: *Epaminondas a Thebanis morte mulctatus est, quod eos coegit apud Leuctra superare Lacedaemonios, quos, ante se imperatorem, nemo Boeotiorum ausus fuit adspicere in acie; quodque uno proelio non solum Thebas ab interitu retraxit, sed etiam universam Graeciam in libertatem vindicavit; eoque res utrorumque perduxit ut Thebani Spartam oppugnarent, Lacedaemonii satis haberent si salvi esse possent; neque prius bellare destitit, quam, Messenâ constitutâ, urbem eorum obsidione clausit.* Haec quum dixisset, risus omnium cum hilaritate coortus est; neque quisquam judex ausus est de eo ferre suffragium. Sic a judicio capitis maximâ discessit gloriâ.

Cap. IX. *Ad Mantineam Epaminondae invicti mors.*

Hic extremo tempore imperator apud Mantineam, quum acie instructâ audacius instaret hostibus, cognitus a Lacedaemoniis, quod in ejus unius pernicie patriae sitam putabant salutem, universi in unum impetum fecerunt; neque prius abscesserunt, quam magnâ

caede factâ, multisque occisis, fortissime ipsum Epaminondam pugnantem, sparo eminus percussum, concidere viderunt. Hujus casu aliquantum retardati sunt Boeotii, neque tamen prius pugnâ excesserunt, quam repugnantes profligârunt. At Epaminondas, quum animadverteret mortiferum se vulnus accepisse, simulque, si ferrum, quod ex hastili in corpore remanserat, extraxisset, animam statim amissurum, usque eo retinuit, quoad renuntiatum est, vicisse Boeotios. Id postquam audivit, *Satis*, inquit, *vixi* ; *invictus enim morior*. Tum, ferro extracto, confestim exanimatus est.

CAP X. *Epaminondae caelibatûs criminatio diluta ; horror a civili victoriâ : Thebarum gloria.*

HIC uxorem nunquam duxit ; in quo quum reprehenderetur a Pelopida, qui filium habebat infamem, maleque eum in eo patriae consulere diceret, quod liberos non relinqueret : *Vide*, inquit, *ne tu pejus consulas, qui talem ex te natum relicturus sis. Neque vero stirps mihi potest deesse ; namque ex me natam relinquo pugnam Leuctricam, quae non modo mihi superstes, sed etiam immortalis sit, necesse est.* Quo tempore, duce Pelopida, exules Thebas occupaverunt, et praesidium Lacedaemoniorum ex arce expulerunt, Epaminondas, quamdiu facta est caedes civium, domi se retinuit ; quod neque malos defendere volebat, neque impugnare, ne manus suorum sanguine cruentaret ; namque omnem civilem victoriam funestam putabat. Idemque, postquam apud Cadmeam pugnari cum Lacedaemoniis coepit, in primis stetit. Hujus de virtutibus vitâque satis erit dictum, si hoc unum adjunxero, quod nemo eat inficias ; Thebas, et antè Epaminondam natum, et post ejusdem interitum, perpetuo alieno paruisse imperio ; contra ea, quamdiu ille praefuerit reipublicae, caput fuisse totius Graeciae. Ex quo intelligi potest, unum hominem pluris, quam civitatem fuisse.

XXII. HAMILCAR.

CAP. I. *Hamilcar fortunam Carthaginiensium in melius convertit.*

HAMILCAR, Hannibalis filius, cognomine Barcas, Carthaginiensis, primo Punico bello, sed temporibus extremis, admodum adolescentulus in Siciliâ praeesse coepit exercitui. Quum ante ejus adventum, et mari et terrâ male res gererentur Carthaginiensium; ipse, ubi affuit, nunquam hosti cessit, neque locum nocendi dedit, saepeque e contrario, occasione datâ, lacessivit, semperque superior discessit. Quo facto, quum pene omnia in Siciliâ Poeni amisissent, ille Erycem sic defendit, ut bellum eo loco gestum non videretur. Interim Carthaginienses, classe, apud insulas Aegates, a Catulo Lutatio consule Romanorum superati, statuerunt belli finem facere, eamque rem arbitrio permiserunt Hamilcaris. Ille, etsi flagrabat bellandi cupiditate, tamen paci serviendum putavit, quod patriam, exhaustam sumptibus, diutius calamitatem belli ferre non posse intelligebat; sed ita, ut statim mente agitaret, si paululum modo res essent refectae, bellum renovare, Romanosque armis persequi, donec aut vi certe vicissent, aut victi manus dedissent. Hoc consilio pacem conciliavit: in quâ tantâ fuit ferociâ, ut, quum Catulus negaret, *se bellum compositurum, nisi ille cum suis, qui Erycem tenuerunt, armis relictis, Siciliâ decederent, succumbente patriâ*, ipse, *periturum se potius*, dixerit, *quam cum tanto flagitio domum rediret: non enim suae esse virtutis, arma, a patriâ accepta adversus hostes, adversariis tradere.* Hujus pertinaciae cessit Catulus.

CAP. II. *Hamilcar, pace factâ, ferro rebelles afflixit, et otium patriae restituit.*

AT ille, ut Carthaginem venit, multo aliter ac sperabat, rempublicam se habentem cognovit: namque, diuturnitate externi mali, tantum exarsit intestinum bellum, ut nunquam pari periculo fuerit Carthago, nisi

quum deleta est. Primo mercenarii milites, qui adversus Romanos fuerant, desciverunt, quorum numerus erat viginti millium. Hi totam abalienârunt Africam, ipsam Carthaginem oppugnârunt. Quibus malis adeo sunt Poeni perterriti, ut auxilia etiam a Romanis petiverint, eaque impetraverint. Sed extremo, quum prope jam ad desperationem pervenissent, Hamilcarem imperatorem fecerunt. Is non solum hostes a muris Carthaginis removit, quum amplius centum millia facta essent armatorum, sed etiam eo compulit, ut locorum angustiis clausi, plures fame quam ferro interirent. Omnia oppida abalienata, in his Uticam atque Hipponem, valentissima totius Africae, restituit patriae. Neque eo fuit contentus, sed etiam fines imperii propagavit. Totâ Africâ tantum otium reddidit, ut nullum in eâ bellum videretur multis annis fuisse.

Cap. III. *Hamilcar, in Hispaniam missus, Hannibalem filium secum duxit, et Hasdrubalem, cui filiam despondit.*

Rebus his ex sententiâ peractis, fidenti animo atque infesto Romanis, quo facilius causam bellandi reperiret, effecit, ut imperator cum exercitu in Hispaniam mitteretur, eoque secum duxit filium Hannibalem, annorum novem. Erat praeterea cum eo adolescens illustris et formosus, Hasdrubal; quem nonnulli diligi turpius, quam par erat, ab Hamilcare, loquebantur. Non enim maledici tanto viro deesse poterant. Quo factum est, ut a praefecto morum Hasdrubal cum eo vetaretur esse. Huic ille filiam suam in matrimonium dedit, quod moribus eorum non poterat interdici socero gener. De hoc ideo mentionem fecimus, quod, Hamilcare occiso, ille exercitui praefuit, resque magnas gessit; et princeps largitione vetustos pervertit mores Carthaginiensium; ejusdemque post mortem Hannibal ab exercitu accepit imperium. At Hamilcar, posteaquam mare transiit, in Hispaniamque venit, magnas res secundâ gessit fortunâ: maximas bellicosissimasque gentes subegit; equis, armis, viris, pecuniâ, totam locupletavit Africam. Hic cum in Italiam bellum in-

ferre meditaretur, nono anno postquam in Hispaniam venerat, in proelio pugnans adversus Vettones occisus est. Hujus perpetuum odium erga Romanos maxime concitâsse videtur secundum bellum Punicum. Namque Hannibal, filius ejus, assiduis patris obtestationibus, eo est perductus, ut interire, quam Romanos non experiri, mallet.

XXIII. HANNIBAL.

Cap. I. *Hannibal, omnibus ducibus major, suorum debilitatur invidiâ.*

Hannibal, Hamilcaris filius, Carthaginiensis. Si verum est, quod nemo dubitat, ut populus Romanus omnes gentes virtute superârit, non est inficiandum, Hannibalem tanto praestitisse caeteros imperatores prudentiâ, quanto populus Romanus antecedat fortitudine cunctas nationes. Nam quotiescunque cum eo congressus est in Italiâ, semper discessit superior. Quod nisi domi civium suorum invidiâ debilitatus esset, Romanos videtur superare potuisse. Sed multorum obtrectatio devicit unius virtutem. Hic autem, velut haereditate relictum, odium paternum erga Romanos sic confirmavit, ut prius animam, quam id, deposuerit: qui quidem, cum patriâ pulsus esset, et alienarum opum indigeret, nunquam destiterit animo bellare cum Romanis.

Cap. II. *Hannibal contra Romanos concitat Philippum et Antiochum, ob haereditarium in eos odium.*

Nam, ut omittam Philippum, quem absens hostem reddidit Romanis, omnium his temporibus potentissimus rex Antiochus fuit. Hunc tantâ cupiditate incendit bellandi, ut usque a Rubro Mari arma conatus sit inferre Italiae. Ad quem cum legati venissent Romani, qui de ejus voluntate explorarent, darentque operam consiliis clandestinis, ut Hannibalem in suspicionem regi adducerent, tanquam ab ipsis corruptum, alia

atque antea sentire; neque id frustra fecissent; idque Hannibal comperisset, seque ab interioribus consiliis segregari vidisset: tempore dato adiit ad regem, eique quum multa de fide suâ et odio in Romanos commemorâsset, hoc adjunxit. *Pater*, inquit, *meus Hamilcar, puerulo me, utpote non amplius novem annos nato, in Hispaniam imperator proficiscens Carthagine, Jovi optimo maximo hostias immolavit. Quae divina res dum conficiebatur, quaesivit a me, vellemne secum in castra proficisci. Id quum libenter accepissem, atque ab eo petere coepissem, ne dubitaret ducere; tum ille, "Faciam,"* inquit, *"si fidem mihi quam postulo dederis;" simulque ad aram adduxit, apud quam sacrificare instituerat, eamque, ceteris remotis tenentem, jurare jussit, nunquam me in amicitiâ cum Romanis fore. Id ego jusjurandum patri datum usque ad hanc diem ita conservavi, ut nemini dubium esse debeat, quin reliquo tempore eâdem mente sim futurus. Quare, si quid amice de Romanis cogitabis, non imprudenter feceris si me celâris; quum quidem bellum parabis, te ipsum frustraberis, si non me in eo principem posueris.*

CAP. III. *Hannibal imperator Hispaniam subigit, Saguntum expugnat, per Pyrenaeum saltum et Alpes in Italiam transit.*

HAC igitur aetate, cum patre in Hispaniam profectus est. Cujus post obitum, Hasdrubale imperatore suffecto, equitatui omni praefuit. Hoc quoque interfecto, exercitus summam imperii ad eum detulit. Id Carthaginem delatum, publice comprobatum est. Sic Hannibal, minor quinque et viginti annis natus, imperator factus, proximo triennio omnes gentes Hispaniae bello subegit; Saguntum, foederatam civitatem, vi expugnavit; tres exercitus maximos comparavit. Ex his unum in Africam misit, alterum cum Hasdrubale fratre in Hispaniâ reliquit; tertium in Italiam secum duxit. Saltum Pyrenaeum transiit: quacumque iter fecit, cum omnibus incolis conflixit: neminem nisi victum dimisit. Ad Alpes posteaquam venit, quae Italiam ab Galliâ sejungunt, quas nemo unquam cum

exercitu ante eum, praeter Herculem Graium, transierat, (quo facto is hodie saltus Graius appellatur ;) Alpicos conantes prohibere transitum concidit, loca patefecit, itinera munîit, effecitque, ut eâ elephantus ornatus ire posset, quâ antea unus homo inermis vix poterat repere. Hâc copias traduxit; in Italiamque pervenit.

Cap. IV. *Hannibal apud Rhodanum, Padum, Trebiam, Thrasymenum et Cannas, Romanos vincit.*

Conflixerat apud Rhodanum cum P. Cornelio Scipione consule, eumque pepulerat. Cum hoc eodem de Clastidio apud Padum decernit; saucium inde ac fugatum dimittit. Tertio, idem Scipio, cum collegâ Tiberio Longo, apud Trebiam adversus eum venit; cum his manum conseruit, utrosque profligavit. Inde per Ligures Apenninum transiit, petens Etruriam. Hoc itinere adeo gravi morbo afficitur oculorum, ut postea nunquam dextro aeque bene usus sit. Quâ valetudine quum etiam nunc premeretur, lecticâque ferretur, C. Flaminium consulem apud Thrasymenum cum exercitu insidiis circumventum occidit: neque multo post, C. Centenium pro-praetorem, cum delectâ manu saltus occupantem. Hinc in Apuliam pervenit. Ibi obviam ei venerunt duo consules, C. Terentius Varro et L. Paullus Aemilius. Utriusque exercitus uno proelio fugavit; L. Paullum consulem occidit, et aliquot praeterea consulares; in his Cn. Servilium Geminum, qui anno superiore fuerat consul.

Cap. V. *Hannibal Fabio verba dat; Rufum, Gracchum, Marcellum superat.*

Hac pugnâ pugnatâ, Romam profectus est, nullo resistente: in propinquis urbis montibus moratus est. Quum aliquot ibi dies castra habuisset, et reverteretur Capuam, Q. Fabius Maximus, dictator Romanus, in agro Falerno ei se objecit. Hinc, clausus locorum angustiis, noctu, sine ullo detrimento exercitûs, se expedivit. Fabio, callidissimo imperatori, dedit verba;

namque, obductâ nocte, sarmenta in cornibus jumentorum deligata incendit, ejusque generis multitudinem magnam dispalatam immisit. Quo repentino objectu viso, tantum terrorem injecit exercitui Romanorum, ut egredi extra vallum nemo sit ausus. Hanc post rem gestam, non ita multis diebus, M. Minucium Rufum, magistrum equitum, pari ac dictatorem imperio, dolo perductum in proelium, fugavit. Tiberium Sempronium Gracchum, iterum consulem, in Lucanis absens, in insidias inductum, sustulit; Marcum Claudium Marcellum, quinquies consulem, apud Venusiam pari modo interfecit. Longum est enumerare proelia: quare hoc unum satis erit dictum, ex quo intelligi possit, quantus ille fuerit. Quamdiu in Italiâ fuit, nemo ei in acie restitit; nemo adversus eum, post Cannensem pugnam, in campo castra posuit.

Cap. VI. *Hannibal in patriâ vincitur a Scipione.*

Hic invictus, patriam defensum revocatus, bellum gessit adversus P. Scipionis filium, quem ipse, primum apud Rhodanum, iterum apud Padum, tertio apud Trebiam, fugaverat. Cum hoc, exhaustis jam patriae facultatibus, cupivit impraesentiarum bellum componere, quo valentior postea congrederetur. In colloquium convenit: conditiones non convenerunt. Post id factum paucis diebus, apud Zamam cum eodem conflixit. Pulsus, incredibile dictu, biduo et duabus noctibus Adrumetum pervenit, quod abest a Zamâ circiter millia passuum trecenta. In hâc fugâ Numidae, qui simul cum eo acie excesserant, insidiati sunt ei; quas non solum effugit, sed etiam ipsos oppressit. Adrumeti reliquos ex fugâ collegit; novis delectibus, paucis diebus, multos contraxit.

Cap. VII. *Hannibal, pace factâ, metuens tradi Romanis, ad Antiochum profugit.*

Quum in apparando acerrime esset occupatus, Carthaginienses bellum cum Romanis composuerunt. Ille nihilo secius exercitui postea praefuit, resque in Africâ

gessit: itemque Mago frater ejus, usque ad P. Sulpicium et C. Aurelium consules. His enim magistratibus, legati Carthaginienses Romam venerunt, qui senatui populoque Romano gratias agerent, quod cum his pacem fecissent; ob eamque rem coronâ aureâ eos donarent, simulque peterent, *ut obsides eorum Fregellis essent, captivique redderentur.* His ex senatûs consulto responsum est, *munus eorum gratum acceptumque esse; obsides, quo loco rogarent, futuros; captivos non remissuros, quod Hannibalem, cujus operâ susceptum bellum foret, inimicissimum nomini Romano, et nunc cum imperio apud exercitum haberent, itemque fratrem ejus Magonem.* Hoc responso, Carthaginienses, cognito, Hannibalem domum Magonemque revocârunt. Huc ut rediit, praetor factus est, postquam rex fuerat, anno secundo et vigesimo: ut enim Romae consules, sic Carthagine quotannis annui bini reges creabantur. In eo magistratu pari diligentiâ se Hannibal praebuit, ac fuerat in bello; namque effecit, ex novis vectigalibus non solum ut esset pecunia, quae Romanis ex foedere penderetur, sed etiam superesset, quae in aerario poneretur. Deinde, anno post praeturam, M. Claudio, L. Furio consulibus, Romani legati Carthaginem venerunt. Hos Hannibal sui exposcendi gratiâ missos ratus, priusquam his senatus daretur, navem conscendit clam, atque in Syriam ad Antiochum profugit. Hâc re palam factâ, Poeni naves duas, quae eum comprehenderent, si possent consequi, miserunt; bona ejus publicârunt; domum a fundamentis disjecerunt; ipsum exulem judicârunt.

CAP. VIII. *Hannibal frustra Poenos tentat; fratrem amittit; adversus Rhodios pugnat.*

AT Hannibal, anno tertio postquam domo profugerat, L. Cornelio, Q. Minucio consulibus, cum quinque navibus Africam accessit, in finibus Cyrenaeorum, si forte Carthaginienses ad bellum, Antiochi spe fiduciâque, inducere posset, cui jam persuaserat, ut cum exercitibus in Italiam proficisceretur. Huc Magonem fratrem excivit. Id ubi Poeni resciverunt, Magonem ea-

dem, quâ fratrem, poenâ affecerunt. Illi, desperatis rebus, quum solvissent naves, ac vela ventis dedissent, Hannibal ad Antiochum pervenit. De Magonis interitu duplex memoria prodita est; namque alii naufragio, alii a servis ipsius interfectum eum, scriptum reliquerunt. Antiochus autem, si tam in agendo bello parere voluisset consiliis ejus, quam in suscipiendo instituerat, propius Tiberi, quam Thermopylis de summâ imperii dimicâsset. Quem etsi multa stulte conari videbat, tamen nullâ deseruit in re. Praefuit paucis navibus, quas ex Syriâ jussus erat in Asiam ducere, hisque adversus Rhodiorum classem in Pamphylio mari conflixit. Quo quum multitudine adversariorum sui superarentur, ipse, quo cornu rem gessit, fuit superior.

Cap. IX. *Hannibal, Antiocho fugato, Cretenses avaros eludit.*

Antiocho fugato, verens ne dederetur, (quod sine dubio accidisset, si sui fecisset potestatem,) Cretam, ad Gortynios venit, ut ibi, quo se conferret, consideraret. Vidit autem vir omnium callidissimus, magno se fore periculo, nisi quid praevidisset, propter avaritiam Cretensium; magnam enim secum pecuniam portabat, de quâ sciebat exiisse famam. Itaque capit tale consilium. Amphoras complures complet plumbo, summas operit auro et argento; has, Gortyniis praesentibus, deponit in templo Dianae, simulans, se suas fortunas illorum fidei credere. His in errorem ductis, statuas aeneas, quas secum portabat, omnes suâ pecuniâ complet, easque in propatulo domi abjicit. Gortynii templum magnâ curâ custodiunt, non tam a ceteris, quam ab Hannibale, ne quid ille, inscientibus his, tolleret, secumque asportaret.

Cap. X. *Hannibal Prusiam concitat adversus Romanos.*

Sic, conservatis suis rebus, Poenus, illusis Cretensibus omnibus, ad Prusiam in Pontum pervenit; apud quem eodem animo fuit erga Italiam; neque aliud quid-

quam egit, quam regem armavit et excitavit adversus Romanos. Quem quum videret domesticis rebus minus esse robustum, conciliabat ceteros reges, adjungebatque bellicosas nationes. Dissidebat ab eo Pergamenus, rex Eumenes, Romanis amicissimus; bellumque inter eos gerebatur et mari et terrâ: quo magis cupiebat eum Hannibal opprimi. Sed utrobique Eumenes plus valebat propter Romanorum societatem; quem si removisset, faciliora sibi cetera fore arbitrabatur. Ad hunc interficiendum talem iniit rationem. Classe paucis diebus erant decreturi; superabatur navium multitudine; dolo erat pugnandum, quum par non esset armis. Imperavit quam plurimas venenatas serpentes vivas colligi, easque in vasa fictilia conjici. Harum quum confecisset magnam multitudinem, die ipso, quo facturus erat navale proelium, classiarios convocat, hisque praecipit, *omnes ut in unam Eumenis regis concurrant navem, a ceteris tantum satis habeant se defendere; id facile illos serpentium multitudine consecuturos; rex autem in quâ nave veheretur, ut scirent, se facturum, quem si aut cepissent aut interfecissent, magno his pollicetur praemio fore.*

Cap. XI. *Hannibal contra Eumenem pugnans serpentes navibus immittit.*

Tali cohortatione militum factâ, classis ab utrisque in proelium deducitur. Quarum acie constitutâ, priusquam signum pugnae daretur, Hannibal, ut palam faceret suis, quo loco Eumenes esset, tabellarium in scaphâ cum caduceo mittit; qui, ubi ad naves adversariorum pervenit, epistolam ostendens, se regem professus est quaerere. Statim ad Eumenem deductus est, quod nemo dubitabat aliquid de pace esse scriptum. Tabellarius, ducis nave declaratâ suis, eodem unde ierat se recepit. At Eumenes, solutâ epistolâ, nihil in eâ reperit, nisi quod ad irridendum eum pertineret. Cujus etsi causam mirabatur, neque reperiebatur, tamen proelium statim committere non dubitavit. Horum in concursu, Bithyni, Hannibalis praecepto, universi navem Eumenis adoriuntur. Quorum vim quum rex

sustinere non posset, fugâ salutem petiit; quam consecutus non esset, nisi intra sua praesidia se recepisset, quae in proximo littore erant collocata. Reliquae Pergamenae naves, quum adversarios premerent acrius, repente in eas vasa fictilia (de quibus supra mentionem fecimus) conjici coepta sunt. Quae jacta initio risum pugnantibus excitârunt, neque, quare id fieret, poterat intelligi. Postquam autem naves completas conspexerunt serpentibus, novâ re perterriti, quum, quid potissimum vitarent, non viderent, puppes averterunt, seque ad sua castra nautica retulerunt. Sic Hannibal consilio arma Pergamenorum superavit; neque tum solum, sed saepe alias, pedestribus copiis pari prudentiâ pepulit adversarios.

Cap. XII. *Hannibal repetitus a Romanis, et circumsessus, veneno vitam finit.*

Quae dum in Asia geruntur, accidit casu, ut legati Prusiae Romae apud L. Quinctium Flamininum consularem coenarent; atque ibi de Hannibale mentione factâ, ex his unus diceret, eum in Prusiae regno esse: id postero die Flamininus senatui detulit. Patres conscripti, qui, Hannibale vivo, nunquam se sine insidiis futuros existimabant, legatos in Bithyniam miserunt, in his Flamininum, qui a rege peterent, *ne inimicissimum suum secum haberet, sibique dederet.* His Prusias negare ausus non est. Illud recusavit, *ne id a se fieri postularent, quod adversus jus hospitii esset: ipsi, si possent, comprehenderent; locum ubi esset facile inventuros.* Hannibal enim uno loco se tenebat in castello, quod ei ab rege datum erat muneri; idque sic aedificârat, ut in omnibus partibus aedificii exitus haberet, semper verens, ne usu eveniret quod accidit. Huc quum legati Romanorum venissent, ac multitudine domum ejus circumdedissent; puer, ab januâ prospiciens, Hannibali dixit, *plures praeter consuetudinem armatos apparere.* Qui imperavit ei, ut omnes fores aedificii circumiret, ac propere sibi renuntiaret, num eodem modo undique obsideretur. Puer quum celeriter, quid esset, renuntiâsset, omnesque exitus occupatos

ostendisset, sensit, id non fortuito factum, sed se peti, neque sibi diutius vitam esse retinendam. Quam ne alieno arbitrio dimitteret, memor pristinarum virtutum, venenum, quod semper secum habere consueverat, sumpsit.

CAP. XIII. *Hannibal, bellis districtus, literis operam dedit.*

SIC vir fortissimus, multis variisque perfunctus laboribus, anno acquievit septuagesimo. Quibus consulibus interierit non convenit: namque Atticus, M. Claudio Marcello et Q. Fabio Labeone consulibus, mortuum in annali suo scriptum reliquit; at Polybius, L. Aemilio Paulo et Cn. Baebio Tamphilo; Sulpicius autem, P. Cornelio Cethego et M. Baebio Tamphilo. Atque hic tantus vir, tantisque bellis districtus, non nihil temporis tribuit literis; namque aliquot ejus libri sunt, Graeco sermone confecti: in his, ad Rhodios *de Cn. Manlii Vulsonis in Asiâ rebus gestis.* Hujus bella gesta multi memoriae prodiderunt: sed ex his duo, qui cum eo in castris fuerunt, simulque vixerunt, quamdiu fortuna passa est, Silenus, et Sosilus Lacedaemonius; atque hoc Sosilo Hannibal literarum Graecarum usus est doctore. Sed nunc tempus est hujus libri facere finem et Romanorum explicare imperatores, quo facilius, collatis utrorumque factis, qui viri praeferendi sint, possit judicari.

XXV. VITA T. POMPONII ATTICI, EX CORNELIO NEPOTE.

CAP. I. *Atticus, clarus parente, ingenio, et studio.*

TITUS POMPONIUS ATTICUS, ab origine ultima stirpis Romanae generatus, perpetuo a majoribus acceptam equestrem obtinuit dignitatem. Patre usus est diligente, indulgente, et, ut tum erant tempora, diti, imprimisque studioso literarum. Hic, prout ipse

amabat literas, omnibus doctrinis, quibus puerilis aetas impertiri debet, filium erudivit. Erat autem in puero, praeter docilitatem ingenii, summa suavitas oris ac vocis, ut non solum celeriter acciperet, quae tradebantur, sed etiam excellenter pronuntiaret; quâ ex re in pueritiâ nobilis inter aequales ferebatur, clariusque exsplendescebat, quam generosi condiscipuli animo aequo ferre possent; itaque incitabat omnes studio suo: quo in numero fuerunt L. Torquatus, C. Marius filius, M. Cicero, quos consuetudine suâ sic sibi devinxit, ut nemo iis perpetuo fuerit carior.

CAP. II. *Atticus Sulpicii causâ, et Cinnano tumultu, Athenas delatus, pecuniâ juvit Marium et Athenienses.*

PATER mature decessit. Ipse adolescentulus, propter affinitatem P. Sulpicii, qui tribunus plebis interfectus est, non expers fuit illius periculi; namque Anicia, Pomponii consobrina, nupserat M. Servio, fratri Sulpicii. Itaque, interfecto Sulpicio, posteaquam vidit Cinnano tumultu civitatem esse perturbatam, neque sibi dari facultatem pro dignitate vivendi, quin alterutram partem offenderet, dissociatis animis civium, quum alii Sullanis, alii Cinnanis faverent partibus; idoneum tempus ratus studiis obsequendi suis, Athenas se contulit. Neque eo secius adolescentem Marium, hostem judicatum, juvit opibus suis; cujus fugam pecuniâ sublevavit. Ac, ne illa peregrinatio detrimentum aliquod afferret rei familiari, eodem magnam partem fortunarum trajecit suarum. Hic ita vixit, ut universis Atheniensibus merito esset carissimus; nam, praeter gratiam, quae jam adolescentulo magna erat, saepe suis opibus inopiam eorum publicam levavit: quum enim versuram facere publice necesse esset, neque ejus conditionem aequam haberent, semper se interposuit, atque ita, ut neque usuram unquam ab iis acceperit, neque longius, quam dictum esset, eos debere passus sit. Quod utrumque erat iis salutare: nam neque, indulgendo inveterascere eorum aes alienum patiebatur, neque, multiplicandis usuris, crescere.

Auxit hoc officium aliâ quoque liberalitate; nam universos frumento donavit, ita ut singulis sex modii tritici darentur; qui modus mensurae medimnus Athenis appellatur.

Cap. III. *Atticus Athenis honoratus.*

Hic autem sic se gerebat, ut communis infimis, par principibus videretur. Quo factum est, ut huic omnes honores, quos possent, publice haberent, civemque facere studerent. Quo beneficio ille uti noluit, quod nonnulli ita interpretantur, amitti civitatem Romanam, aliâ adscitâ. Quamdiu affuit, ne qua sibi statua poneretur, restitit; absens prohibere non potuit. Itaque aliquot ipsi, et Phidiae, locis sanctissimis posuerunt. Hunc enim in omni procuratione reipublicae actorem auctoremque habebant. Igitur primum illud munus fortunae, quod, in eâ potissimum urbe natus, in quâ domicilium orbis terrarum esset imperii, eandem et patriam haberet et domum: hoc specimen prudentiae, quod, quum in eam civitatem se contulisset, quae antiquitate, humanitate, doctrina, praestaret omnes, ei unus ante alios fuerit carissimus.

Cap. IV. *Atticus, Sullae carus, Romam remigrat.*

Huc ex Asiâ Sulla decedens quum venisset, quamdiu ibi fuit, secum habuit Pomponium, captus adolescentis humanitate et doctrinâ. Sic enim Graece loquebatur, ut Athenis natus videretur; tanta autem erat suavitas sermonis Latini, ut appareret in eo nativum quendam leporem esse, non adscitum. Idem poemata pronuntiabat et Graece et Latine, sic, ut supra nihil posset addi. Quibus rebus factum est, ut Sulla nusquam eum a se dimitteret, cuperetque secum deducere. Qui quum persuadere tentaret, *Noli, oro te,* inquit Pomponius, *adversum eos me velle ducere, cum quibus ne contra te arma ferrem, Italiam reliqui.* At Sulla, adolescentis officio collaudato, omnia munera ei, quae Athenis acceperat, proficiscens jussit deferri. Hic complures annos moratus, quum et rei familiari tantum operae

daret, quantum non indiligens deberet paterfamilias, et omnia reliqua tempora aut literis aut Atheniensium reipublicae tribueret; nihilo minus amicis urbana officia praestitit. Nam et ad comitia eorum ventitavit, et, si qua res major acta est, non defuit: sicut Ciceroni, in omnibus ejus periculis, singularem fidem praebuit; cui ex patriâ fugienti LLS. ducenta et quinquaginta millia donavit. Tranquillatis autem rebus Romanis, remigravit Romam, ut opinor, L. Cotta et L. Torquato consulibus: quem diem sic universa civitas Atheniensium prosecuta est, ut lacrymis desiderii futuri dolorem indicaret.

Cap. V. *Atticus asperi Caecilii haeres: Ciceronis et Hortensii copula.*

Habebat avunculum Q. Caecilium, equitem Romanum, familiarem L. Luculli, divitem, difficillimâ naturâ. Cujus sic asperitatem veritus est, ut, quem nemo ferre posset, hujus sine offensione ad summam senectutem retinuerit benevolentiam. Quo facto, tulit pietatis fructum: Caecilius enim moriens, testamento adoptavit eum, haeredemque fecit ex dodrante; ex quâ haereditate accepit circiter centies LLS. Erat nupta soror Attici Q. Tullio Ciceroni; easque nuptias M. Cicero conciliârat, cum quo a condiscipulatu vivebat conjunctissime, multo etiam familiarius, quam cum Quinto; ut judicari possit, plus in amicitia valere similitudinem morum, quam affinitatem. Utebatur autem intime Q. Hortensio, qui iis temporibus principatum eloquentiae tenebat, ut intelligi non posset, uter eum plus diligeret, Cicero an Hortensius: et id, quod erat difficillimum, efficiebat, ut, inter quos tantae laudis esset aemulatio, nulla intercederet obtrectatio, essetque talium virorum copula.

Cap. VI. *Atticus honoribus, litibus, praefecturis, abstinet.*

In republicâ ita est versatus, ut semper optimarum partium et esset et existimaretur; neque tamen se

civilibus fluctibus committeret, quod non magis eos in suâ potestate existimabat esse, qui se iis dedissent, quam qui maritimis jactarentur. Honores non petiit, quum ei paterent, propter vel gratiam vel dignitatem; quod neque peti more majorum, neque capi possent, conservatis legibus, in tam effusis ambitus largitionibus, neque retineri sine periculo, corruptis civitatis moribus. Ad hastam publicam nunquam accessit. Nullius rei neque praes, neque manceps factus est. Neminem neque suo nomine, neque subscribens accusavit. In jus de suâ re nunquam iit: judicium nullum habuit. Multorum consulum, praetorumque praefecturas delatas sic accepit, ut neminem in provinciam sit secutus; honore fuerit contentus, rei familiaris despexerit fructum: qui ne cum Quinto quidem Cicerone voluerit ire in Asiam, quum apud eum legati locum obtinere posset. Non enim decere se arbitrabatur, quum praeturam gerere noluisset, asseclam esse praetoris. Quâ in re non solum dignitati serviebat, sed etiam tranquillitati, quum suspiciones quoque vitaret criminum: quo fiebat, ut hujus observantia omnibus esset carior, quum eam officio, non timori neque spei, tribui viderent.

Cap. VII. *Atticus, bello Caesariano, neque Pompeium offendit, neque Caesarem.*

Incidit Caesarianum civile bellum, quum haberet annos circiter sexaginta. Usus est aetatis vacatione, neque se quoquam movit ex urbe. Quae amicis suis opus fuerant ad Pompeium proficiscentibus, omnia ex suâ re familiari dedit. Ipsum Pompeium conjunctum non offendit: nullum enim ab eo habebat ornamentum, ut ceteri, qui per eum aut honores, aut divitias ceperrant: quorum partim invitissimi castra sunt secuti, partim summâ cum ejus offensione domi remanserunt. Attici autem quies tantopere Caesari fuit grata, ut victor, quum privatis pecunias per epistolas imperaret, huic non solum molestus non fuerit, sed etiam sororis filium et Q. Ciceronem ex Pompeii castris concesserit. Sic vetere instituto vitae, effugit nova pericula.

CAP. VIII. *Atticus, occiso Caesare, M. Bruto, etiam abjecto et fugienti, amicus.*

SECUTUM est illud. Occiso Caesare, quum respublica penes Brutos videretur esse et Cassium, ac tota civitas se ad eos convertisse videretur; sic M. Bruto usus est, ut nullo ille adolescens aequali familiarius quam hoc sene; neque solum eum principem consilii haberet, sed etiam in convictu. Excogitatum est a quibusdam, ut privatum aerarium Caesaris interfectoribus ab equitibus Romanis constitueretur. Id facile effici posse arbitrati sunt, si et principes illius ordinis pecunias contulissent. Itaque appellatus est a C. Flavio, Bruti familiari, Atticus, ut ejus rei princeps esse vellet. At ille, qui officia amicis praestanda sine factione existimaret, semperque a talibus se consiliis removisset, respondit, *si quid Brutus de suis facultatibus uti voluisset, usurum, quantum eae paterentur; se neque cum quoquam de eâ re collocuturum, neque coiturum.* Sic ille consensionis globus hujus unius dissensione disjectus est. Neque multo post superior esse coepit Antonius; ita ut Brutus et Cassius, provinciarum, quae iis dicis causâ datae erant a consulibus, desperatis rebus, in exilium proficiscerentur. Atticus, qui pecuniam simul cum ceteris conferre noluerat florenti illi parti, abjecto Bruto Italiâque cedenti LLS. centum millia muneri misit; eidem in Epiro absens trecenta jussit dari. Neque eo magis potenti adulatus est Antonio, neque desperatos reliquit.

CAP. IX. *Atticus Antonio hosti judicato ne inimicus quidem: Fulviae opitulator.*

SECUTUM est bellum gestum apud Mutinam. In quo si tantum eum prudentem dicam, minus quam debeam, praedicem; quum ille potius divinus fuerit, si divinatio appellanda est perpetua naturalis bonitas, quae nullis casibus augetur, neque minuitur. Hostis Antonius judicatus Italiâ cesserat: spes restituendi nulla erat: non solum ejus inimici, qui tum erant potentissimi et plurimi, sed etiam amici adversariis ejus

se dabant, et in eo laedendo se aliquam consecuturos sperabant commoditatem: familiares insequebantur; uxorem Fulviam omnibus rebus spoliare cupiebant: liberos etiam extinguere parabant. Atticus, quum Ciceronis intimâ familiaritate uteretur, amicissimus esset Bruto, non modo nihil iis indulsit ad Antonium violandum, sed e contrario familiares ejus ex urbe profugientes, quantum potuit, texit; quibus rebus indiguerunt, adjuvit. P. vero Volumnio ea tribuit, ut plura a parente proficisci non potuerint. Ipsi autem Fulviae quum litibus distineretur, magnisque terroribus vexaretur, tantâ diligentiâ officium suum praestitit, ut nullum illa stiterit vadimonium sine Attico; hic sponsor omnium rerum fuerit. Quin etiam, quum illa fundum secundâ fortunâ emisset in diem, neque post calamitatem versuram facere potuisset, ille se interposuit, pecuniamque sine foenore, sineque ullâ stipulatione ei credidit; maximum existimans quaestum, memorem gratumque cognosci, simulque aperire, se non fortunae, sed hominibus, solere esse amicum: quae quum faciebat, nemo eum temporis causâ facere poterat existimare. Nemini enim in opinionem veniebat, Antonium rerum potiturum. Sed sensim is a nonnullis optimatibus reprehendebatur, quod parum odisse malos cives videretur.

Cap. X. *Atticus Antonii proscriptionem evasit.*

Ille autem sui judicii, potius, quid se facere par esset, intuebatur, quâm quid alii laudaturi forent. Conversa subito fortuna est. Ut Antonius rediit in Italiam, nemo non magno in periculo Atticum putârat propter intimam familiaritatem Ciceronis et Bruti. Itaque ad adventum imperatorum de foro decesserat, timens proscriptionem: latebatque apud P. Volumnium, cui, ut ostendimus paulo ante, opem tulerat. Tanta varietas in his temporibus fuit fortunae, ut modo hi, modo illi in summo essent aut fastigio, aut periculo. Habebat secum Q. Gellium Canium, aequalem, simillimumque sui. Hoc quoque sit Attici bonitatis exemplum, quod cum eo, quem puerum in ludo cognoverat,

adeo conjuncte vixit, ut ad extremam aetatem amicitia eorum creverit. Antonius autem, etsi tanto odio ferrebatur in Ciceronem, ut non solum ei, sed etiam omnibus ejus amicis, esset inimicus, eosque vellet proscribere; multis hortantibus tamen, Attici memor fuit officii, et ei quum requisîsset ubinam esset, suâ manu scripsit, *ne timeret, statimque ad se veniret; se eum et Gellium Canium de proscriptorum numero exemisse.* Ac, ne quod in periculum incideret, quod noctu fiebat, praesidium ei misit. Sic Atticus in summo timore, non solum sibi, sed etiam ei, quem carissimum habebat, praesidio fuit. Neque enim suae solum a quoquam auxilium petiit salutis, sed conjunctim; ut appareret, nullam sejunctam sibi ab eo velle fortunam. Quod si gubernator praecipuâ laude fertur, qui navem ex hieme marique scopuloso servat, cur non singularis ejus existimetur prudentia, qui ex tot tamque gravibus procellis civilibus ad incolumitatem pervenit?

CAP. XI. *Atticus proscriptis fidelis et utrique fortunae.*

Quibus ex malis ut se emersit, nihil aliud egit quam ut plurimis, quibus rebus posset, esset auxilio. Quum proscriptos, praemiis imperatorum, vulgus conquireret, nemo in Epirum venit, cui res ulla defuerit. Nemini non ibi perpetuo manendi potestas facta est: quin etiam, post proelium Philippense, interitumque C. Cassii et M. Bruti, L. Julium Mocillam praetorium, et filium ejus, Aulumque Torquatum, ceterosque pari fortunâ perculsos, instituit tueri; atque ex Epiro his omnia Samothraciam supportari jussit. Difficile enim est omnia persequi, et non necessaria. Illud unum intelligi volumus, illius liberalitatem, neque temporariam, neque callidam fuisse. Id ex ipsis rebus ac temporibus judicari potest, quod non florentibus se venditavit, sed afflictis semper succurrit. Qui quidem Serviliam, Bruti matrem, non minus post mortem ejus, quam florentem, coluerit. Sic liberalitate utens, nullas inimicitias gessit, quod neque laedebat quemquam, neque, si quam injuriam acceperat, non oblivisci, quam ulcisci malebat. Idem immortali memoriâ percepta

retinebat beneficia; quae autem ipse tribuerat, tamdiu meminerat, quoad ille gratus erat, qui acceperat. Itaque hic fecit, ut vere dictum videatur: *Sui cuique mores fingunt fortunam.* Neque tamen prius ille fortunam, quam se ipse, finxit, qui cavit, ne quâ in re plecteretur.

CAP. XII. *Atticus Vipsanio et Antonio solum usus in deprecandis amicorum periculis.*

His igitur rebus effecit, ut M. Vipsanius Agrippa, intimâ familiaritate conjunctus adolescenti Caesari, quum propter suam gratiam et Caesaris potentiam, nullius conditionis non haberet potestatem, potissimum ejus diligeret affinitatem, praeoptaretque equitis Romani filiam generosarum nuptiis. Atque harum nuptiarum conciliator fuit (non enim est celandum) M. Antonius, triumvir reipublicae constituendae: cujus gratiâ quum augere possessiones posset suas, tantum abfuit a cupiditate pecuniae, ut nullâ in re usus sit eâ, nisi in deprecandis amicorum aut periculis, aut incommodis. Quod quidem sub ipsâ proscriptione perillustre fuit. Nam quum L. Saufeii, equitis Romani, aequalis sui, qui cum eo complures annos, studio ductus philosophiae, Athenis habitabat, habebatque in Italiâ pretiosas possessiones, triumviri bona vendidissent, consuetudine eâ, quâ tum res gerebantur; Attici labore atque industriâ factum est, ut eodem nuntio Saufeius fieret certior, se patrimonium amisisse, et recuperâsse. Idem L. Julium Calidium, quem, post Lucretii Catullique mortem, multo elegantissimum poetam nostram tulisse aetatem vere videor posse contendere, neque minus virum bonum, optimisque artibus eruditum, post proscriptionem equitum, propter magnas ejus Africanas possessiones, in proscriptorum numerum a P. Volumnio, praefecto fabrûm Antonii, absentem relatum, expedivit. Quod in praesenti utrum ei laboriosius an gloriosius fuerit, difficile fuit judicare: quod in eorum periculis, non secus absentes quam praesentes amicos Attico esse curae, cognitum est.

Cap. XIII. *Atticus paterfamilias elegans, non sumptuosus.*

Neque vero minus ille vir, bonus paterfamilias habitus est, quam civis. Nam quum esset pecuniosus, nemo illo minus fuit emax, minus aedificator. Neque tamen non imprimis bene habitavit, omnibusque optimis rebus usus est; nam domum habuit in colle Quirinali Tamphilanam, ab avunculo haereditate relictam, cujus amoenitas non aedificio, sed silvâ constabat; ipsum enim tectum, antiquitus constitutum plus salis quam sumptûs habebat; in quo nihil commutavit, nisi si quid vetustate coactus est. Usus est familiâ, si utilitate judicandum est, optimâ; si formâ, vix mediocri: namque in eâ erant pueri literatissimi, anagnostae optimi, et plurimi librarii, ut ne pedisequus quidem quisquam esset, qui non utrumque horum pulchre facere posset. Pari modo artifices ceteri, quos cultus domesticus desiderat, apprime boni. Neque tamen horum quemquam, nisi domi natum, domique factum, habuit: quod est signum non solum continentiae, sed etiam diligentiae; nam et non intemperanter concupiscere quod a pluribus videas, continentis debet duci; et potius diligentiâ, quam pretio parare, non mediocris est industriae. Elegans, non magnificus; splendidus, non sumptuosus; omni diligentiâ munditiam, non affluentiam affectabat. Supellex modica, non multa, ut in neutram partem conspici posset. Nec hoc praeteribo (quamquam nonnullis leve visum iri putem) quum in primis lautus esset eques Romanus, et non parum liberaliter domum suam omnium ordinum homines invitaret, scimus non amplius, quam terna millia aeris, peraeque in singulos menses, ex ephemeride eum expensum sumptui ferre solitum. Atque hoc non auditum, sed cognitum praedicamus; saepe enim, propter familiaritatem, domesticis rebus interfuimus.

CAP. XIV. *Atticus nunquam sine lectione coenat: pecuniâ recte utitur.*

NEMO in convivio ejus aliud acroama audivit quam anagnosten, quod nos quidem jucundissimum arbitramur; neque unquam sine aliquâ lectione apud eum coenatum est, ut non minus animo, quam ventre, convivae delectarentur. Namque eos vocabat, quorum mores a suis non abhorrerent. Quum tanta pecuniae facta esset accessio, nihil de quotidiano cultu mutavit, nihil de vitae consuetudine; tantâque usus est moderatione, ut neque in sestertio vicies, quod a patre acceperat, parum se splendide gesserit; neque in sestertio centies affluentius vixerit, quam instituerat, parique fastigio steterit in utrâque fortunâ. Nullos habuit hortos, nullam suburbanam, aut maritimam sumptuosam villam, neque in Italiâ, praeter Ardeatinum et Nomentanum, rusticum praedium; omnisque ejus pecuniae reditus constabat in Epiroticis et urbanis possessionibus. Ex quo cognosci potest, eum usum pecuniae non magnitudine, sed ratione metiri solitum.

CAP. XV. *Atticus verax in verbis; in negotiis laboriosus.*

MENDACIUM neque dicebat, neque pati poterat. Itaque ejus comitas non sine severitate erat, neque gravitas sine facilitate: ut difficile esset intellectu, utrum eum amici magis vererentur, an amarent. Quidquid rogabatur, religiose promittebat; quod non liberalis, sed levis arbitrabatur, polliceri, quod praestare non posset: idem in nitendo, quod semel admisisset, tantâ erat curâ, ut non mandatam, sed suam rem videretur agere. Nunquam suscepti negotii eum pertaesum est: suam enim existimationem in eâ re agi putabat, quâ nihil habebat carius; quo fiebat ut omnia M. et Q. Ciceronum, Catonis, Marii, Q. Hortensii, Auli Torquati, multorum praeterea equitum Romanorum, negotia procuraret. Ex quo judicari poterat, non inertiâ, sed judicio, fugisse reipublicae procurationem.

Cap. XVI. *Atticus humanus, Ciceronis perfamiliaris.*

Humanitatis vero nullum afferre majus testimonium possum, quam quod adolescens idem seni Sullae fuerit jucundissimus, senex adolescenti M. Bruto; cum aequalibus autem suis, Q. Hortensio et M. Cicerone, sic vixerit, ut judicare difficile sit, cui aetati fuerit aptissimus; quamquam eum praecipue dilexit Cicero, ut ne frater quidem ei Quintus carior fuerit aut familiarior. Ei rei sunt indicio, praeter eos libros in quibus de eo facit mentionem, qui in vulgus sunt editi, sexdecim volumina epistolarum, ab consulatu ejus usque ad extremum tempus ad Atticum missarum; quae qui legat, non multum desideret historiam contextam eorum temporum: sic enim omnia de studiis principum, vitiis ducum, ac mutationibus reipublicae, perscripta sunt, ut nihil in his non appareat; et facile existimari possit prudentiam quodam modo esse divinationem. Non enim Cicero ea solum, quae vivo se acciderunt, futura praedixit; sed etiam, quae nunc usu veniunt, cecinit ut vates.

Cap. XVII. *Atticus pius et doctus.*

De pietate autem Attici quid plura commemorem? quum hoc ipsum vere gloriantem audierim in funere matris suae, quam extulit annorum nonaginta, quum esset septem et sexaginta, *se nunquam cum matre in gratiam redîsse, nunquam cum sorore fuisse in simultate*, quam prope aequalem habebat: quod est signum, aut nullam unquam inter eos quaerimoniam intercessisse, aut hunc eâ fuisse in suos indulgentiâ, ut, quos amare deberet, irasci eis nefas duceret. Neque id fecit naturâ solum, quamquam omnes ei paremus, sed etiam doctrinâ. Nam et principum philosophorum ita percepta habuit praecepta, ut iis ad vitam agendam, non ad ostentationem, uteretur.

Cap. XVIII. *Atticus peritus antiquitatis, genealogiae, poetices.*

Moris etiam majorum summus imitator fuit, antiquitatisque amator: quam adeo diligenter habuit cognitam, ut eam totam in eo volumine exposuerit, quo magistratus ordinavit. Nulla enim lex, neque pax, neque bellum, neque res illustris est populi Romani, quae non in eo, suo tempore sic notata; et, quod difficillimum fuit, sic familiarum originem subtexuit, ut ex eo clarorum virorum propagines possimus cognoscere. Fecit hoc idem separatim in aliis libris, ut, M. Bruti rogatu, Juniam familiam a stirpe ad hanc aetatem ordine enumeraverit, notans, qui, a quo ortus, quos honores, quibusque temporibus, cepisset: pari modo Marcelli Claudii, Marcellorum; Scipionis Cornelii et Fabii Maximi, Corneliorum, et Fabiorum, et Aemiliorum quoque: quibus libris nihil potest esse dulcius iis, qui aliquam cupiditatem habent notitiae clarorum virorum. Attigit quoque poeticen; credimus, ne ejus expers esset suavitatis: namque versibus, qui honore, rerumque gestarum amplitudine, caeteros Romani populi praestiterunt, exposuit; ita, ut, sub singulorum imaginibus, facta magistratusque eorum non amplius quaternis quinisve versibus descripserit; quod vix credendum sit, tantas res tam breviter potuisse declarari. Est etiam unus liber, Graece confectus, de consulatu Ciceronis. Hactenus, Attico vivo, edita haec a nobis sunt.

Cap. XIX. *Atticus morum elegantiâ Octaviani Caesaris affinitatem consecutus.*

Nunc, quoniam fortuna nos superstites ei esse voluit, reliqua persequemur, et, quantum poterimus, rerum exemplis lectores docebimus, sicut supra significavimus, *suos cuique mores plerumque conciliare fortunam.* Namque hic, contentus ordine equestri, quo erat ortus, in affinitatem pervenit imperatoris divi Julii filii, quum jam ante familiaritatem ejus esset consecutus, nullâ

aliâ re quam elegantiâ vitae, quâ ceteros ceperat principes civitatis, dignitate pari, fortunâ humiliore. Tanta enim prosperitas Caesarem est consecuta, ut nihil ei non tribuerit fortuna, quod cuiquam ante detulerit, et conciliârit quod nemo adhuc civis Romanus quîvit consequi. Nata est autem Attico neptis ex Agrippâ, cui virginem filiam collocârat. Hanc Caesar, vix anniculam, Tiberio Claudio Neroni, Drusillâ nato, privigno suo, despondit: quae conjunctio necessitudinem eorum sanxit, familiaritatem reddidit frequentiorem.

Cap. XX. *Attici cum Octaviano Caesare familiaritas non collisa dissensu illius ab Antonio.*

Quamvis ante haec sponsalia, non solum, quum ab urbe abesset, nunquam ad suorum quemquam literas misit, quin Attico mitteret, *quid ageret*, imprimis *quid legeret, quibusque in locis et quamdiu esset moraturus;* sed etiam quum esset in urbe, et, propter suas infinitas occupationes minus saepe, quam vellet, Attico frueretur, nullus dies tamen temere intercessit, quo non ad eum scriberet; quo non aliquid de antiquitate ab eo requireret; modo aliquam quaestionem poeticam ei proponeret; interdum jocans ejus verbosiores eliceret epistolas. Ex quo accidit, quum aedes Jovis Feretrii, in Capitolio ab Romulo constituta, vetustate atque incuriâ detecta prolaberetur, ut, Attici admonitu, Caesar eam reficiendam curaret. Neque vero a M. Antonio minus, absens, literis colebatur; adeo, ut accurate ille, ex ultimis terris, *quid ageret, quid curae sibi haberet,* certiorem faceret Atticum. Hoc quale sit, facilius existimabit is, qui judicare poterit, quantae sit sapientiae, eorum retinere usum benevolentiamque, inter quos maximarum rerum non solum aemulatio, sed obtrectatio tanta intercedebat, quantam fuit incidere necesse inter Caesarem atque Antonium, quum se uterque principem, non solum urbis Romanae, sed orbis terrarum, esse cuperet.

Cap. XXI. *Atticus senex, aegrotus, moriendi consilium aperit.*

Tali modò quum vii et lxx annos complêsset, atque ad extremam senectutem non minus dignitate quam gratiâ fortunâque crevisset, (multas enim haereditates nullâ aliâ re, quam bonitate est consecutus,) tantâque prosperitate usus esset valetudinis, ut annis triginta medicinâ non indiguisset, nactus est morbum, quem initio et ipse et medici contempserunt; nam putârunt esse tenesmon, cui remedia celeria faciliaque proponebantur. In hoc quum tres menses sine ullis doloribus, praeterquam quos ex curatione capiebat, consumpsisset, subito tanta vis morbi in unum intestinum prorupit, ut extremo tempore per lumbos fistula putris eruperit. Atque hoc priusquam ei accideret, postquam in dies dolores accrescere, febremque accessisse sensit, Agrippam generum ad se arcessi jussit, et cum eo L. Cornelium Balbum, Sextumque Peducaeum. Hos ut venisse vidit, in cubitum innixus; *Quantam*, inquit, *curam diligentiamque, in valetudine meâ tuendâ hoc tempore adhibuerim, quum vos testes habeam, nihil necesse pluribus verbis commemorare; quibus quoniam, ut spero, satisfeci, nihilque reliqui feci quod ad sanandum me pertineret, reliquum est, ut egomet mihi consulam. Id vos ignorare nolui; nam mihi stat, alere morbum desinere. Namque his diebus quidquid cibi sumpsi, ita produxi vitam, ut auxerim dolores sine spe salutis. Quare a vobis peto primum, ut consilium probetis meum, deinde, ne frustra dehortando conemini.*

Cap. XXII. *Atticus inediâ moritur, et sepelitur.*

Hac oratione habitâ, tantâ constantâ vocis atque vultûs, ut non ex vitâ sed ex domo in domum videretur migrare, quum quidem Agrippa, eum flens atque osculans, oraret atque obsecraret, *ne id, quod natura cogeret, ipse quoque sibi acceleraret, et, quoniam tum quoque posset temporibus superesse, se sibi suisque reser-*

varet; preces ejus taciturnâ suâ obstinatione compressit. Sic quum biduum cibo se abstinuisset, subito febris decessit, leviorque morbus esse coepit. Tamen propositum nihilo secius peregit. Itaque die quinto postquam id consilium inierat, pridie kal. April. Cn. Domitio, C. Sosio consulibus, decessit. Elatus est in lecticulâ, ut ipse praescripserat, sine ullâ pompâ funeris, comitantibus omnibus bonis, maximâ vulgi frequentiâ. Sepultus est juxta viam Appiam, ad quintum lapidem, in monumento Q. Caecilii avunculi sui.

FINIS.

ECLOGAE CURTIANAE:

CONTAINING THE

THIRD AND FOURTH BOOKS,

OF

QUINTUS CURTIUS RUFUS DE GESTIS ALEXANDRI MAGNI.

MONTREAL:
ARMOUR & RAMSAY.

1849.

v
o
I
C
j
r
A
p
V
t
i
a
t
a
q
s
n
p
X
e
X
X
c
r
g
m

QUINTI CURTII RUFI,

DE

REBUS GESTIS

ALEXANDRI MAGNI

REGIS MACEDONUM,

LIBER TERTIUS.

PRIORES DUO LIBRI NON EXSTANT.

ARGUMENTUM TERTII.

I. Celaenarum urbe et arce recepta, primariam Phrygiae urbem Alexander ingreditur: in qua fatalem Gordii nodum solvit: ac deinde obviam Dario ire statuit. II. Exercitus Persici lustratio: de quo quum Darii jussu Charidemus Atheniensis verum liberumque protulisset judicium; capite mulctatus est. III. Pompae Persarum regum, orto Sole demum procedentium, tum copiarum Alexandri descriptio. IV. Desertas ab Arsene Darii praefecto Ciliciae fauces Alexander opportune occupat. V. Cum in Cydnum flumen abluendi corporis gratia intempestive descendisset, gravissimo morbo corripitur rex ipse. VI. Qui a fido sapientique medico Philippo, cui a toto exercitu ingentes gratiae habentur, pristinae valetudini mox restituitur. VII. Vegetior factus, Darium aggredi cogitat, Sisenemque Persam, imprudentia delinquentem, occidi jubet. VIII. Darii ante pugnam consilia: tum exercitus Persici consternatio; proximae internecionis praesagium. IX. Utriusque exercitus membra praecipua, et collatio. X. Alexandri oratio ad milites. XI. Pugna cruenta, in qua 100,000 *peditum ac* 10,000 *equitum Persarum occumbunt: reliquis fusis fugatisque. XII. Castris Darii ingenti praeda potitur Alexander. XIII. Matris et uxoris Darii, nec non aliarum nobilium captivarum luctum, ob regem quem putabant interfectum, regio prorsus animo levat Alexander. XIV. Darii gazam immensam, cum ingenti nobilium numero, Parmenioni proditorie Damasci praefectus tradit.*

I. INTER haec Alexander, ad conducendum ex Peloponneso militem Cleandro cum pecunia misso, Lyciae Pamphyliaeque rebus compositis, ad urbem Celaenas exercitum admovit. Mediam illa tempestate interfluebat Marsyas amnis, fabulosis Graecorum carminibus inclytus. Fons ejus, ex summo montis cacumine excurrens, in subjectam petram magno strepitu aquarum cadit; inde diffusus, circumjectos rigat campos, liquidus et suas duntaxat undas trahens. Itaque color ejus placido mari similis locum poetarum mendacio fecit; quippe traditum est nymphas, amore amnis retentas, in illa rupe considere. Ceterum, quamdiu intra muros fluit, nomen suum retinet; at quum extra munimenta se evolvit, majore vi ac mole agentem undas, Lycum appellant. Alexander quidem urbem destitutam a suis intrat; arcem vero, in quam confugerant, oppugnare adortus, caduceatorem praemisit qui denunciaret, ni dederent, ipsos ultima esse passuros. Illi caduceatorem, in turrim et situ et opere multum editam perductum, quanta esset altitudo intueri jubent, ac nunciare Alexandro, non eadem ipsum et incolas aestimatione munimenta metiri; se scire inexpugnabiles esse; ad ultimum, pro fide morituros. Ceterum, ut circumsideri arcem et omnia sibi in dies arctiora viderunt esse, sexaginta dierum inducias pacti, ut, nisi intra eos auxilium Darius ipse misisset, dederent arcem; postquam nihil inde praesidii mittebatur, ad praestitutam diem permisere se regi.

II. Superveniunt deinde legati Atheniensium, petentes ut capti apud Granicum amnem redderentur sibi. Ille non hos modo, sed etiam ceteros Graecos, restitui suis jussurum respondit, finito Persico bello. Ceterum, Dario imminens, quem nondum Euphratem superasse cognoverat, undique omnes copias contrahit, totis viribus tanti belli discrimen aditurus. Phrygia erat per quam ducebatur exercitus, pluribus vicis quam urbibus frequens. Tunc habebat quondam nobilem Midae regiam; Gordium nomen est urbi, quam Sangarius amnis interfluit, pari intervallo Pontico et Cilicio mari distantem.* Inter

* Scatet hic locus erroribus Geographicis quibus passim Curtius abundat.

haec maria angustissimum Asiae spatium esse comperimus, utroque in arctas fauces compellente terram. Quae quia continenti adhaeret, sed magna ex parte cingitur fluctibus, speciem insulae praebet; ac, nisi tenue discrimen objiceret, maria, quae nunc dividit, committeret. Alexander, urbe in suam ditionem redacta, Jovis templum intrans, vehiculum, quo Gordium Midae patrem vectum esse constabat, aspexit, cultu haud sane a vilioribus vulgatisque usu abhorrens. Notabile erat jugum adstrictum compluribus nodis in semetipsos implicatis, et celantibus nexus. Incolis deinde affirmantibus, editam esse oraculo sortem, Asiae potiturum qui inexplicabile vinculum solvisset; cupido incessit animo sortis ejus implendae.

III. Circa regem erat et Phrygum turba et Macedonum; illa expectatione suspensa, haec sollicita ex temeraria regis fiducia. Quippe, serie vinculorum ita adstricta, ut, unde nexus inciperet quove se conderet, nec ratione nec visu percipi posset, solvere aggressus injecerat curam, ne in omen verteretur irritum inceptum. Ille nequaquam diu luctatus cum latentibus nodis; 'Nihil,' inquit, 'interest quomodo solvantur;' gladioque ruptis omnibus loris, oraculi sortem vel elusit, vel implevit. Cum deinde Darium, ubicunque esset, occupare statuisset; ut a tergo tuta relinqueret, Amphoterum classi ad oram Hellesponti, copiis autem praefecit Hegelochum, Lesbum et Chium et Con praesidiis hostium liberaturos. His talenta ad belli usum quingenta attributa. Ad Antipatrum, et eos qui Graecas urbes tuebantur, sexcenta missa. Ex foedere naves sociis imperatae, quae Hellesponto praesiderent. Nondum enim Memnona vita excessisse cognoverat, in quem omnes intenderat curas; satis gnarus, cuncta in expedito fore, si nihil ab eo moveretur. Jamque ad urbem Ancyram ventum erat, ubi numero copiarum inito Paphlagoniam intrat. Huic juncti erant Eneti, unde quidam Venetos trahere originem credunt; omnisque haec regio paruit regi: datisque obsidibus, tributum (quod ne Persis quidem tulissent) pendere ne cogerentur impetraverunt. Calas huic regioni praepositus est: ipse, assumptis qui ex Macedonia nuper advenerant, Cappadociam petiit.

IV. 2. At Darius, nunciata Memnonis morte, haud secus quam par erat motus, omissa omni alia spe, statuit ipse decernere; quippe, quae per duces suos acta erant cuncta damnabat, ratus pluribus curam, omnibus abfuisse fortunam. Igitur castris ad Babylonem positis, quo majore animo capesserent bellum, universas vires in conspectum dedit; et circumdato vallo quod decem millium armatorum multitudinem caperet, Xerxis exemplo numerum copiarum iniit. Orto sole ad noctem agmina, sicut descripta erant, intravere vallum: inde occupaverunt emissa Mesopotamiae campos; equitum peditumque propemodum innumerabilis turba, majorem quam pro numero speciem gerens. Persarum erant centum millia, in queis eques triginta millia implebat. Medi decem equitum, quinquaginta millia peditum habebant. Barcanorum equitum duo millia fuere, armati bipennibus, levibusque scutis cetrae maxime speciem reddentibus; peditum decem millia pari armatu sequebantur. Armenii quadraginta millia miserant peditum, additis septem millibus equitum. Hyrcani, egregii, ut inter illas gentes, sex millia expleverant equis militatura. Derbices quadraginta millia peditum armaverant; pluribus aere aut ferro preafixae hastae; quidam lignum igne duraverant: hos quoque duo millia equitum ex eadem gente comitata sunt. A Caspio mari octo millium pedester exercitus venerat, ducenti equites. Cum his erant ignobiles aliae gentes duo millia peditum, equitum duplicem paraverant numerum. His copiis triginta millia Graecorum, mercede conducta, egregiae juventutis, adjecta sunt. Nam Bactrianos et Sogdianos et Indos ceterosque Rubri Maris accolas, ignota etiam ipsi gentium nomina, festinatio prohibebat acciri.

V. Nec quicquam illi minus quam multitudo militum defuit: cujus tum universae adspectu admodum laetus, purpuratis solita vanitate spem ejus inflantibus, conversus ad Charidemum Atheniensem, belli peritum et, ob exilium, infestum Alexandro, (quippe Athenis, jubente eo, fuerat expulsus) percontari coepit, satisne ei videretur instructus ad obterendum hostem. At ille et suae sortis et regiae superbiae oblitus; 'Verum,' inquit, 'et tu forsan audire nolis; et ego, nisi nunc dixero, alias

nequidquam confitebor. Hic tanti apparatûs exercitus, haec tot gentium et totius orientis excita sedibus suis moles, finitimis potest esse terribilis ; nitet purpura auroque, fulget armis et opulentia, quantam, qui oculis non subjecere, animis concipere non possunt. Sed Macedonum acies, torva sane et inculta, clypeis hastisque immobiles cuneos et conferta robora virorum tegit. Ipsi *phalangem* vocant peditum stabile agmen. Vir viro, armis arma conserta sunt : ad nutum monentis intenti, sequi signa, ordines servare didicere. Quod imperatur omnes exaudiunt : obsistere, circumire, discurrere in cornu, mutare pugnam, non duces magis quam milites callent. Et ne auri argentique studio teneri putes, adhuc illa disciplina, paupertate magistra, stetit : fatigatis humus cubile est ; cibus quem occupant satiat ; tempora somni arctiora quam noctis sunt. Jam Thessali equites et Acarnanes Aetolique, invicta bello manus, fundis, credo, et hastis igne duratis repellentur ! Pari robore opus est. In illa terra, quae hos genuit, auxilia quaerenda sunt. Argentum istud atque aurum ad conducendum militem mitte. Erat Dario mite ac tractabile ingenium, nisi naturam plerumque fortuna corrumperet. Itaque veritatis impatiens, hospitem ac supplicem, tunc maxime utilia suadentem, abstrahi jussit ad capitale supplicium. Ille, ne tum quidem libertatis oblitus, ‘ Habeo,’ inquit, ‘ paratum mortis meae ultorem : expetet poenas mei consilii spreti is ipse contra quem tibi suasi. Tu quidem, licentia regni tam subito mutatus, documentum eris posteris, homines, cum se permisere fortunae, etiam naturam dediscere.’ Haec vociferantem, quibus erat imperatum, jugulant. Sera deinde poenitentia subiit regem ; ac vera dixisse confessus eum sepeliri jussit.

VI. 3. Thymodes erat Mentoris filius, impiger juvenis, cui praceptum est a rege ut omnes peregrinos milites, in queis plurimum habebat spei, a Pharnabazo acciperet, opera eorum usurus in bello. Ipsi Pharnabazo tradit imperium quod ante Memnoni dederat. Anxium de instantibus curis agitabant etiam per somnum species imminentium rerum : sive illas aegritudo, sive divinatio animi praesagientis accersit. Castra Alexandri magno

ignis fulgore collucere ei visa sunt: et paulo post Alexender adduci ad ipsum in eo vestis habitu quo ipse fuisset: equo deinde per Babylonem vectus, subito cum ipso equo oculis esse subductus. Ad haec vates varia interpretatione curam distrinxerant; alii laetum id regi somnium esse dicebant, quod castra hostium arsissent, quod Alexandrum, deposita regia veste, in Persico et vulgari habitu perductum esse vidisset. Quidam contra augurabantur: quippe illustria Macedonum castra visa, fulgorem Alexandro portendere; quem regnum Asiae occupaturum esse, haud ambigere; quoniam in eodem habitu Darius fuisset, quum appellatus esset rex. Vetera quoque omina, ut fit, solicitudo revocaverat: Darium enim in principio imperii vaginam acinacis Persicam jussisse mutari in eam formam qua Graeci uterentur; protinusque Chaldaeos interpretatos, imperium Persarum ad eos transiturum quorum arma esset imitatus. Ceterum ipse, et vatum responso quod edebatur in vulgus, et specie quae per somnum oblata erat, admodum laetus, castra ad Euphraten moveri jubet.

VII. Patrio more Persarum traditum est, orto sole demum procedere. Die jam illustri, signum e tabernaculo Regis buccina dabatur. Super tabernaculum, unde ab omnibus conspici posset, imago Solis crystallo inclusa fulgebat. Ordo autem agminis erat talis. Ignis quem ipsi *sacrum* et *aeternum* vocabant, argenteis altaribus praeferebatur. Magi proximi patrium carmen canebant. Magos trecenti et sexaginta quinque juvenes sequebantur, puniceis amiculis velati, diebus totius anni pares numero; quippe Persis quoque in totidem dies descriptus est annus. Currum deinde Jovi sacratum albentes vehebant equi; hos eximiae magnitudinis equus, quem Solis apellabant, sequebatur; aureae virgae et albae vestes regentes equos adornabant. Haud procul erant vehicula decem, multo auro argentoque caelata. Sequebatur haec equitatus duodecim gentium variis armis et moribus. Proximi ibant quos Persae *immortales* vocant, ad decem millia; cultus opulentiae barbarae non alios magis honestabat; illi aureos torques, illi vestem auro distinctam habebant, manicatasque tunicas gemmis etiam adornatas. Exiguo intervallo, quos Cognatos Regis

appellant, decem et quinque millia hominum. Haec vero turba, muliebriter propemodum culta, luxu magis quam decoris armis conspicua erat. *Doryphori* vocabantur proximum his agmen, soliti vestem excipere regalem; hi currum regis anteibant, quo ipse eminens vehebatur. Utrumque currus latus Deorum simulacra ex auro argentoque expressa decorabant; distinguebant internitentes gemmae jugum, ex quo eminebant duo aurea simulacra cubitalia, quorum alterum Nini, alterum Beli gerebat effigiem. Inter haec auream aquilam pinnas extendenti similem sacraverant.

VIII. Cultus Regis inter omnia luxuria notabatur; purpureae tunicae medium albo intextum erat; pallam auro distinctam aurei accipitres, velut rostris inter se corruerent, adornabant; et, zona aurea muliebriter cinctus, acinacem suspenderat cui ex gemma erat vagina. *Cidarim* Persae regium capitis vocabant insigne; hoc caerulea fascia albo distincta circumibat. Currum decem millia hastatorum sequebantur; hastas argento exornatas, spicula auro praefixa gestabant. Dextra laevaque regem ducenti ferme nobilissimi propinquorum comitabantur. Horum agmen claudebatur triginta millibus peditum, quos equi regis quadringenti sequebantur. Intervallo deinde unius stadii, matrem Darii Sysigambim currus vehebat; et in alio erat conjux: turba feminarum reginas comitantium equis vectabatur. Quindecim inde, quas *armamaxas* appellant, sequebantur; in his erant liberi regis et qui educabant eos, spadonumque grex, haud sane illis gentibus vilis. Tum regiae pellices trecentae sexaginta vehebantur, et ipsae regali cultu ornatuque: post quas pecuniam regis sexcenti muli et trecenti cameli vehebant, praesidio sagittariorum prosequente. Propinquorum amicorumque conjuges huic agmini proximae, lixarumque et calonum greges, vehebantur. Ultimi erant cum suis quisque ducibus, qui cogerent agmen, leviter armati. Contra, si quis aciem Macedonum intueretur, dispar facies erat; equis virisque non auro, non discolori veste, sed ferro atque aere fulgentibus. Agmen et stare paratum, et sequi; nec turba nec sarcinis praegrave; intentum ad ducis, non signum modo, sed etiam nutum: et castris

locus, et exercitui commeatus suppetebant. Ergo Alexandro in acie miles non defuit. Darius tantae multitudinis rex, loci in quo pugnavit angustiis redactus est ad paucitatem, quam in hoste contempserat.

IX. 4. Interea Alexander, Abistamene Cappadociae praeposito, Ciliciam petens cum omnibus copiis, regionem quae Castra Cyri appellatur pervenerat: stativa ibi habuerat Cyrus, quum adversum Croesum in Lydiam duceret. Aberat ea regio quinquaginta stadia aditu quo Ciliciam intramus; *Pylas* incolae dicunt, arctissimas fauces, munimenta quae manu ponimus naturali situ imitante. Igitur Arsanes, qui Ciliciae praeerat, reputans quid initio belli Memnon suasisset, quondam salubre consilium sero exsequi statuit: igni ferroque Ciliciam vastat, ut hosti solitudinem faciat; quicquid usui esse potest, corrumpit; sterile ac nudum solum, quod tueri nequibat, relicturus. Sed longe utilius fuit angustias aditus qui Ciliciam aperit valido occupare praesidio, jugumque opportune itineri imminens obtinere, unde inultus subeuntem aut prohibere aut opprimere hostem potuisset. Tunc, paucis qui calliibus praesiderent relictis, retro ipse concessit, populator terrae quam a populationibus vindicare debuerat. Ergo qui relicti erant, proditos se rati, ne conspectum quidem hostis sustinere valuerunt, cum vel pauciores locum obtinere potuissent. Namque perpetuo jugo montis asperi ac praerupti Cilicia includitur; quod quum a mari surgat, veluti sinu quodam flexuque curvatum, rursus altero cornu in diversum littus excurrit. Per hoc dorsum, qua maxime introrsum mari cedit, asperi tres aditus et perangusti sunt; quorum uno Cilicia intranda est. Campestris eadem qua vergit ad mare, planitiem ejus crebris distinguentibus rivis: Pyramus et Cydnus inclyti amnes fluunt.

X. Cydnus non spatio aquarum sed liquore memorabilis; quippe leni tractu e fontibus labens, puro solo excipitur, nec torrentes incurrunt qui placide manantis alveum turbent. Itaque incorruptus, idemque frigidissimus quippe multa riparum amoenitate inumbratus, ubique fontibus suis similis in mare evadit. Multa in ea regione monumenta vulgata carminibus vetustas ex-

cederat. Monstrabantur urbium sedes, Lyrnessi et Thebes, Typhonis quoque specus et Corycium nemus ubi crocum gignitur, ceteraque in quibus nihil praeter famam duraverat. Alexander fauces jugi quae Pylae appellantur intravit. Contemplatus locorum situs, non aliàs magis dicitur admiratus esse felicitatem suam; obrui potuisse vel saxis confitebatur, si fuissent qui in subeuntes propellerent. Iter vix quaternos capiebat armatos: dorsum montis imminebat viae, non angustae modo sed plerumque praeruptae, crebris oberrantibus rivis qui ex radicibus montium manant. Thracas tamen leviter armatos praecedere jusserat scrutarique calles, ne occultus hostis in subeuntes erumperet; sagittariorum quoque manus occupaverat jugum; intentos arcus habebant, moniti, non iter ipsos inire sed praelium. Hoc modo agmen pervenit ad urbem Tarson, cui tum maxime Persae subjiciebant ignem, ne opulentum oppidum hostis invaderet. At ille, Parmenione ad inhibendum incendium cum expedita manu praemisso, postquam Barbaros adventu suorum fugatos esse cognovit, urbem a se conservatam intrat.

XI. 5. Mediam Cydnus amnis, de quo paulo ante dictum est, interfluit; et tunc aestas erat, cujus calor non aliam magis quam Ciliciae oram vapore solis accendit: et diei fervidissimum tempus coeperat. Pulvere ac sudore simul perfusum regem invitavit liquor fluminis, ut calidum adhuc corpus ablueret. Itaque veste deposita in conspectu agminis, decorum quoque futurum ratus, si ostendisset suis levi ac parabili cultu corporis se esse contentum, descendit in flumen; vixque ingressi subito horrore artus rigere coeperunt: pallor deinde suffusus est, et totum propemodum corpus vitalis calor reliquit. Exspiranti similem ministri manu excipiunt, nec satis compotem mentis in tabernaculum deferunt. Ingens sollicitudo et paene jam luctus in castris erat. Flentes querebantur, in tanto impetu cursuque rerum, omnis aetatis ac memoriae clarissimum regem, ne in acie saltem, non ab hoste dejectum, sed abluentem aqua corpus, ereptum esse et extinctum: instare Darium victorem antequam vidisset hostem: sibi easdem terras quas victores peragrassent repetendas: omnia, aut ipsos

aut hostes populatos: per vastas solitudines, etiamsi nemo insequi velit, euntes fame atque inopia debellari posse: Quem signum daturum fugientibus? Quem ausurum Alexandro succedere? Jam, ut ad Hellespontum fuga penetrarent, classem qua transeant quem praeparaturum? Rursus in ipsum regem misericordiâ versâ, illum florem juventae, illam vim animi, eundem regem et commilitonem, divelli a se et abrumpi, immemores sui querebantur.

XII. Inter haec liberius meare spiritus coeperat; allevabat rex oculos, et paulatim redeunte animo circumstantes amicos agnoverat; laxataque vis morbi ob hoc solum videbatur, quia magnitudinem mali sentiebat. Animi autem aegritudo corpus urgebat; quippe Darium quinto die in Ciliciam fore nunciabatur: vinctum ergo se tradi, et tantam victoriam eripi sibi manibus, obscuraque et ignobili morte in tabernaculo suo extingui se querebatur. Admissisque amicis pariter et medicis: 'In quo me,' inquit, 'articulo rerum mearum fortuna deprehenderit cernitis. Strepitum hostilium armorum exaudire mihi videor; et qui ultro intuli bellum jam provocor. Darius ergo, quum tam superbas literas scriberet, fortunam meam in consilio habuit; sed nequidquam, si mihi arbitrio meo curari licet. Lenta remedia et segnes medicos non expectant tempora mea: vel mori strenue quam tarde convalescere mihi melius est; proinde, si quid opis, si quid artis in medicis est, sciant me non tam mortis quam belli remedium quaerere.' Ingentem omnibus incusserat curam tam praeceps temeritas ejus. Ergo, pro se quisque, precari coepere, ne festinatione periculum augeret, sed esset in potestate medentium: inexperta remedia haud injuria ipsis esse suspecta, quum ad perniciem ejus etiam a latere ipsius pecunia solicitaret hostis, (quippe Darius mille talenta interfectori Alexandri daturum se pronunciari jusserat:) itaque ne ausurum quidem quemquam [arbitrabantur] experiri remedium, quod propter novitatem posset esse suspectum.

XIII. 6. Erat inter nobiles medicos e Macedonia regem sequutus Philippus, natione Acarnan, fidus admodum regi: puero comes et custos salutis datus, non ut

regem modo, sed etiam ut alumnum, eximia caritate diligebat. Is non praeceps se, sed strenuum remedium afferre, tantamque vim morbi potione medicata levaturum esse promisit. Nulli promissum ejus placebat, praeter ipsum cujus periculo pollicebatur. Omnia quippe facilius quam moram perpeti poterat: arma et acies in oculis erant; et victoriam in eo positam esse arbitrabatur, si tantum ante signa stare potuisset: id ipsum, quod post diem tertium medicamentum sumpturus esset, (ita enim medicus praedixerat) aegre ferens. Inter haec a Parmenione, fidissimo purpuratorum, literas accipit, quibus ei denunciabat ne salutem suam Philippo committeret: mille talentis a Dario et spe nuptiarum sororis ejus esse corruptum. Ingentem animo solicitudinem literae incusserant, et quicquid in utramque partem aut metus aut spes subjecerat, secretâ aestimatione pensabat. ‘Bibere perseverem? ut, si venenum datum fuerit, ne immerito quidem quidquid acciderit evenisse videatur. Damnem medici fidem? In tabernaculo ergo me opprimi patiar? At satius est alieno me mori scelere, quam metu meo.’ Diu animo in diversa versato, nulli quid scriptum esset enunciat; epistolamque, sigillo annuli sui impressam, pulvino cui incumbebat subjecit.

XIV. Inter has cogitationes biduo absumpto, illuxit a medico destinatus dies, et ille cum poculo in quo medicamentum diluerat, intravit. Quo viso Alexander, levato corpore in cubitum, epistolam a Parmenione missam sinistra manu tenens, accipit poculum et haurit interritus: tum epistolam Philippum legere jubet; nec a vultu legentis movit oculos, ratus aliquas conscientiae notas in ipso ore posse deprehendere. Ille, epistola perlecta, plus indignationis quam pavoris ostendit: projectisque amiculo et literis ante lectum, ‘Rex,’ inquit, ‘semper quidem spiritus meus ex te pependit, sed nunc vere, arbitror, sacro et venerabili ore trahitur. Crimen parricidii quod mihi objectum est tua salus diluet: servatus a me vitam mihi dederis. Oro quaesoque, omisso metu, patere medicamentum concipi venis: laxa paulisper animum, quem intempestiva solicitudine amici, sane fideles, sed moleste seduli, turbant. Non securum modo haec vox sed etiam laetum regem ac plenum bonae spei

fecit. Itaque, 'Si Dii,' inquit, 'Philippe, tibi permisissent quo maxime modo animum velles experiri meum, alio profecto voluisses, sed certiore quam expertus es ne optasses quidem: hac epistola accepta, tamen quod dilueras bibi, et nunc crede, me non minus pro tua fide quam pro mea salute esse solicitum.' Haec eloquutus, dextram Philippo offert.

XV. Ceterum, tanta vis medicaminis fuit, ut quae sequuta sunt criminationem Parmenionis adjuverint: interclusus spiritus arcte meabat. Nec Philippus quidquam inexpertum omisit; ille fomenta corpori admovit; ille torpentem nunc cibi nunc vini odore excitavit. Atque, ut primum mentis compotem esse sensit, modo matris sororumque, modo tantae victoriae appropinquantis admonere non destitit. Ut vero medicamentum se diffudit in venas, et sensim toto corpore salubritas percipi potuit, primo animus vigorem suum, deinde corpus quoque expectatione maturius recuperavit; quippe post tertium diem quam in hoc statu fuerat, in conspectum militum venit. Nec avidius ipsum regem quam Philippum intuebatur exercitus: pro se quisque dextram ejus amplexi grates habebant velut praesenti deo. Namque haud facile dictu est, praeter ingenitam illi genti erga reges suos venerationem, quantum hujus utique regis vel admirationi, dediti fuerint, vel caritate flagraverint. Jampridem nihil sine divina ope aggredi videbatur: nam, quum esset praesto ubique fortuna, temeritas in gloriam cesserat. Aetas quoque vix tantis matura rebus, sed abunde sufficiens, omnia ejus opera honestabat. Et quae leviora haberi solent plerumque in rege, militari graviora vulgo sunt, exercitatio corporis inter ipsos, cultus habitusque paululum a privato abhorrens, militaris vigor: queis ille vel ingenii dotibus vel animi artibus, ut pariter carus ac venerandus esset, effecerat.

XVI. 7. At Darius, nuncio de adversa valetudine accepto, celeritate, quantam capere tam grave agmen poterat, ad Euphraten contendit, junctoque eo pontibus, quinque tandem diebus trajecit exercitum, Ciliciam occupare festinans. Jamque Alexander, viribus corporis receptis, ad urbem Solos pervenerat, cujus potitus, ducentis talentis nomine mulctae exactis, arci praesidium

militum imposuit. Vota deinde pro salute suscepta per ludum atque otium reddens, ostendit quanta fiducia Barbaros sperneret. Aesculapio et Minervae ludos celebravit. Spectanti nuntius laetus affertur ex Halicarnasso, Persas acie a suis esse superatos: Myndios quoque et Caunios et pleraque tractus ejus suae facta ditionis. Igitur edito spectaculo ludicro, castrisque motis, et Pyramo amne ponte juncto, ad urbem Mallon pervenit; inde alteris castris ad oppidum Castabalum. Ibi Parmenio regi occurrit, quem praemiserat ad explorandum iter saltus, per quem ad urbem Isson nomine penetrandum erat. Atque ille, angustiis ejus occupatis et praesidio modico relicto, Isson quoque desertam a Barbaris ceperat. Inde progressus, deturbatis qui interiora montium obsidebant, praesidiis cuncta firmavit: occupatoque itinere, sicut paulo ante dictum est, idem et auctor et nuncius venit.

XVII. Isson inde rex copias admovit: ubi consilio habito, utrumne ultra progrediendum foret, an ibi opperiendi essent milites novi, quos ex Macedonia adventare constabat, Parmenio non alium locum praelio aptiorem esse censebat: quippe illic utriusque regis copias numero futuras pares; quum angustiae multitudinem non caperent, planitiem ipsis camposque esse vitandos, ubi circumiri, ubi ancipiti acie opprimi possent: timere, ne non virtute hostium sed lassitudine sua vincerentur: Persas recentes subinde successuros, si laxius stare potuissent. Facile ratio tam salubris consilii accepta est; itaque inter angustias saltus hostem opperiri statuit. Erat in exercitu regis Sisines Perses: quondam a praetore Aegypti missus ad Philippum, donisque et omni honore cultus, exilium patria sede mutaverat: secutus deinde in Asiam Alexandrum, inter fideles socios habebatur. Huic epistolam Cretensis miles obsignatam annulo, cujus signum haud sane notum erat, tradidit. Nabarzanes praetor Darii miserat eam, hortabaturque Sisinem ut dignum aliquid nobilitate ac moribus suis ederet: magno id ei apud Regem honori fore. Has literas Sisines, utpote innoxius, ad Alexandrum saepe deferre tentavit: sed, quum tot curis apparatuque belli regem videret urgeri, aptius subinde tempus exspectans,

suspicionem initi scelesti consilii praebuit. Namque epistola, priusquam ei redderetur, in manus Alexandri pervenerat, lectamque eam, ignoti annuli sigillo impresso, Sisini dari jusserat, ad aestimandam fidem Barbari. Qui quia per complures dies non adierat regem, scelesto consilio eam visus est suppressisse, et in agmine a Cretensibus, haud dubie jussu regis, occisus est.

XVIII. Jam Graeci milites, quos Thymodes a Pharnabazo acceperat, praecipua spes et propemodum unica, ad Darium pervenerant. Hi magnopere suadebant, ut retro abiret, spatiososque Mesopotamiae campos repeteret: Si id consilium damnaret, at ille divideret saltem copias innumerabiles, neu sub unum fortunae ictum totas vires regni cadere pateretur. Minus hoc [consilium] regi quam purpuratis ejus displicebat: Ancipitem fidem et mercede venalem proditionem imminere: et dividi non ob aliud copias velle, quam ut ipsi in diversa digressi, si quid commissum esset, traderent Alexandro: Nihil tutius esse, quam circumdatos eos exercitu toto obrui telis, documentum non inultae perfidiae futuros. At Darius, ut erat sanctus et mitis, se vero tantum facinus negat esse facturum, ut suam secutos fidem suos milites jubeat trucidari: Quem deinde amplius nationum exterarum salutem suam crediturum sibi, si tot militum sanguine imbuisset manus? Neminem stolidum consilium capite luere debere; defuturos enim qui suaderent, si suasisse periculum esset: Denique, ipsos quotidie ad se vocari in consilium variasque sententias dicere; nec tamen melioris fidei haberi, qui prudentius suaserint. Itaque Graecis nuntiari jubet; ipsum quidem benevolentiae illorum gratias agere; ceterum, si retro ire pergat, haud dubie regnum hostibus traditurum: famâ bella stare, et eum qui recedat fugere credi: Trahendi vero belli vix ullam esse rationem: tantae enim multitudini, utique quum jam hyeme instaret, in regione vasta et invicem a suis atque hoste vexata, non suffectura alimenta: Ne dividi quidem copias posse, servato more majorum, qui universas vires semper discrimini bellorum obtulerint: Et hercule terribilem antea regem et absentia sua ad vanam fiduciam elatum, posteaquam adventare se senserit, cautum pro temera-

rio factum, delituisse inter angustias saltus ritu ignobilium ferarum, quae, strepitu praetereuntium audito, sylvarum latebris se occuluerint: Jam etiam valetudinis simulatione frustrari suos milites, sed non amplius ipsum esse passurum* detrectare certamen; in illo specu, in quem pavidi recessissent, oppressurum esse cunctantes.

XIX. Haec magnificentius jactata quam verius. Ceterum, pecunia omni rebusque pretiosissimis Damascum Syriae cum modico praesidio militum missis, reliquas copias in Ciliciam duxit, insequentibus more patrio agmen conjuge et matre; virgines quoque cum parvo filio comitabantur patrem. Forte eadem nocte et Alexander ad fauces quibus Syria aditur, et Darius ad eum locum quem Amanicas Pylas vocant, pervenit. Nec dubitavere Persae, quin, Isso relicta quam ceperant, Macedones fugerent. Nam etiam saucii quidam et invalidi, qui agmen non poterant persequi, excepti erant. Quos omnes, instinctu purpuratorum, barbara feritate saevientium, praecisis adustisque manibus, circumduci, ut copias suas noscerent, satisque omnibus spectatis, nunciare quae vidissent regi suo jussit. Motis ergo castris, superat Pinarum amnem, in tergis, ut credebat, fugientium haesurus. At illi quorum amputaverat manus, ad castra Macedonum penetrant, Darium, quanto maximo cursu posset, sequi nunciantes. Vix fides habebatur; itaque speculatores in maritimas regiones praemissos explorare jubet, ipsene adesset an praefectorum aliquis speciem praebuisset universi venientis exercitus. Sed quum speculatores reverterentur, procul ingens multitudo conspecta est; ignes deinde totis campis collucere coeperunt, omniaque velut continenti incendio ardere visa, quum incondita multitudo, maxime propter jumenta, laxius tenderet. Itaque eo ipso loco metari suos castra jusserat, laetus, quod omni expetiverat voto, in illis potissimum angustiis decernendum fore.

XX. Ceterum, ut solet fieri, quum ultimi discriminis tempus adventat, in solicitudinem versa fiducia est. Illam ipsam fortunam, qua aspirante res tam prospere

* *i. e.* Se (Darium) non passurum esse ipsum (Alexandrum.)

gesserat, verebatur, nec injuria, ex his quae tribuisset sibi; quamque mutabilis esset, reputabat: unam superesse noctem quae tanti discriminis moraretur eventum. Rursus occurrebat, majora periculis praemia, et sicut dubium esset an vinceret, ita illud utique certum esse, honeste et cum magna laude moriturum. Itaque corpora milites curare jussit, ac deinde tertia vigilia instructos et armatos esse; ipse in jugum editi montis ascendit, multisque collucentibus facibus, patrio more sacrificium diis praesidibus loci fecit. Jamque tertium, sicut praeceptum erat, signum tubâ miles acceperat, itineri simul paratus et praelio; strenueque jussi procedere, oriente luce pervenerunt ad angustias, quas occupare decreverant. Darium triginta inde stadia abesse praemissi indicabant: tunc consistere agmen jubet, armisque ipse sumptis aciem ordinat.

XXI. Dario adventum hostium pavidi agrestes nunciaverunt, vix credenti occurrere etiam quos ut fugientes sequebatnr. Ergo non mediocris omnium animos formido incesserat: quippe itinere quam praelio aptiores erant raptimque arma capiebant: sed ipsa festinatio discurrentium, suosque ad arma vocantium, majorem metum incussit. Alii in jugum montis evaserant, ut hostium agmen inde prospicerent: equos plerique frenabant; discors exercitus, nec ad unum intentus imperium, vario tumultu cuncta turbaverat. Darius initio montis jugum cum parte copiarum occupare statuit, et a fronte et a tergo circumiturus hostem: a mari quoque, quo dextrum ejus cornu tegebatur, alios objecturus, ut undique urgeret. Praeter haec viginti millia praemissa cum sagittariorum manu, Pinarum amnem, qui duo agmina interfluebat, transire, et objicere sese Macedonum copiis jusserat; si id praestare non possent, retrocedere in montes, et occulte circumire ultimos hostium. Ceterum, destinata salubriter omni ratione potentior fortuna discussit; quippe alii prae metu imperium exsequi non audebant, alii frustra exsequebantur: quia, ubi partes labant, summa turbatur.

XXII. 9. Acies autem hoc modo stetit. Nabarzanes equitatu dextrum cornu tuebatur, additis funditorum sagittariorumque viginti fere millibus. In eodem Thy-

modes erat, Graecis peditibus mercede conductis triginta millibus praepositus : hoc erat haud dubium robur exercitus, par Macedonicae phalangi acies. In laevo cornu Aristomedes Thessalus viginti millia barbarorum peditum habebat. In subsidiis pugnacissimas locaverat gentes. Ipsum regem in eodem cornu dimicaturum tria millia delectorum equitum, assueta corporis custodiae, et pedestris acies quadraginta milla sequebantur. Hyrcani deinde Medique equites ; his proximi ceterarum gentium ultra eos dextra laevaque dispositi. Hoc agmen, sicut dictum est, instructum, sex millia jaculatorum funditorumque antecedebant. Quidquid in illis angustiis adiri poterat, impleverant copiae, cornuaque hinc a jugo, illinc a mari stabant ; uxorem matremque regis, et alium feminarum gregem in medium agmen acceperant.

XXIII. Alexander phalangem, qua nihil apud Macedonas validius erat, in fronte constituit , dextrum cornu Nicanor Parmenionis filius tuebatur ; huic proximi stabant Coenos, et Perdiccas, et Meleager, et Ptolemaeus, et Amyntas, sui quisque agminis duces ; in laevo, quod ad mare pertinebat, Craterus et Parmenio erant ; sed Craterus Parmenioni parere jussus. Equites ab utroque cornu locati : dextrum Macedones, Thessalis adjunctis, laevum Peloponnenses tuebantur. Ante hanc aciem posuerat funditorum manum, sagittariis admixtis. Thraces quoque et Cretenses ante agmen ibant, et ipsi leviter armati. At iis, qui praemissi a Dario jugum montis insederant, Agrianos opposuit, ex Graecia nuper advectos. Parmenioni autem praeceperat, ut, quantum posset, agmen ad mare extenderet, quo longius abesset montibus quos occupaverant barbari. At illi neque obstare venientibus, nec circumire praetergressos ausi ; funditorum maxime adspectu profugerant territi : eaque res tutum Alexandro agminis latus, quod ne superne incesseretur timuerat, praestitit. Triginta et duo armatorum ordines ibant ; neque enim latius extendi aciem patiebantur angustiae : paulatim deinde se laxare sinus montium et majus spatium aperire coeperant ; ita ut non pedes solum pluribus ordine incedere, sed etiam lateribus circumfundi posset equitatus.

XXIV. 10. Jam in conspectu, sed extra teli jactum,

utraque acies erat-; quum priores Persae inconditum et trucem sustulere clamorem. Redditur et a Macedonibus major, exercitûs impare numero, sed jugis montium vastisque saltibus repercussus : quippe semper circumjecta nemora petraeque, quantamcumque accepere vocem, multiplicato sono referunt. Alexander ante prima signa ibat, identidem manu suos inhibens ; ne suspensi, acrius ob nimiam festinationem concitato spiritu, capesserent praelium. Cumque agmini obequitaret, varia oratione, ut cujusque animis aptum erat, milites alloquebatur. Macedones, tot bellorum in Europa victores, ad subigendam Asiam atque ultima Orientis, non ipsius magis quam suo ductu profecti, inveteratae virtutis admonebantur : Illos terrarum orbis liberatores, emensosque olim Herculis et Liberi patris terminos, non Persis modo, sed etiam omnibus gentibus impositures jugum ; Macedonum Bactra et Indos fore : minima esse quae nunc intuerentur : sed omnia victoria parari : Non in praeruptis petris Illyriorum et Thraciae saxis sterilem laborem fore ; spolia totius Orientis offerri : Vix gladio futurum opus ; totam aciem suo pavore fluctuantem umbonibus posse propelli. Victor ad haec Atheniensium Philippus pater invocabatur, domitaeque nuper Boeotiae, et urbis in ea nobilissimae ad solum dirutae species repraesentabatur animis ; jam Granicum amnem, jam tot urbes, aut expugnatas aut in fidem acceptas, omniaque quae post tergum erant strata et pedibus ipsorum subjecta memorabat. Quum adierat Graecos, admonebat, ab iis gentibus illata Graeciae bella, Darii prius, deinde Xerxis insolentia, aquam ipsam terramque postulantium : ut neque fontium haustum, nec solitos cibos relinquerent. Dein deûm templa ruinis et ignibus esse deleta, urbes eorum expugnatas ; foedera humani divinique juris violata referebat. Illyrios vero et Thracas, rapto vivere assuetos, aciem hostium auro purpuraque fulgentem intueri jubebat, praedam, non arma gestantem : Irent, et imbellibus feminis aurum viri eriperent : aspera montium suorum juga, nudosque colles et perpetuo rigentes gelu, ditibus Persarum campis agrisque mutarent.

XXV. 11. Jam ad teli jactum pervenerant, quum

Persarum equites ferociter in laevum cornu hostium invecti sunt. Qiuppe Darius equestri praelio decernere optabat, phalangem Macedonici exercitus robur esse conjectans; jamque etiam dextrum Alexandri cornu circumibatur. Quod ubi Macedo conspexit, duabus alis equitum ad jugum montis jussis subsistere, ceteros in medium belli discrimen strenue transfert. Subductis deinde ex acie Thessalis equitibus, praefectum eorum occulte circumire tergum suorum jubet, Parmenionique conjungi, et quod is imperâsset impigre exsequi. Jamque ipsi in medium [Persarum] undique circumfusi egregie se tuebantur. Sed conserti, et quasi cohaerentes, tela vibrare non poterant: simul erant emissa, in eosdem concurrentia implicabantur, levique et vano ictu pauca in hostem, plura in humum innoxia cadebant: ergo cominus pugnam coacti conserere, gladios impigre stringunt. Tum vero multum sanguinis fusum est: duae quippe acies ita cohaerebant, ut armis arma pulsarent, mucrones in ora dirigerent. Non timido, non ignavo cessare tum licuit; collato pede, quasi singuli inter se dimicarent, in eodem vestigio stabant, donec vincendo locum sibi facerent. Tum demum ergo promovebant gradum, quum hostem prostraverant. At illos novus excipiebat adversarius fatigatos: nec vulnerati, ut aliàs solent, acie poterant excedere, quum hostis instaret a fronte, a tergo sui urgerent.

XXVI. Alexander non ducis magis quam militis munera exsequebatur, opimum decus caeso Rege expetens: quippe Darius curru sublimis eminebat, et suis ad se tuendum, et hostibus ad incessendum, ingens incitamentum. Ergo frater ejus Oxathres, quum Alexandrum instare ei cerneret, equites quibus praeerat ante ipsum currum regis objecit; armis et robore corporis multum super ceteros eminens, animo vero et pietate in paucissimis, illo utique praelio, clarus, alios improvide instantes prostravit, alios in fugam avertit. At Macedones, ut circa regem erant, mutua adhortatone firmati, cum ipso in equitum agmen irrumpunt. Tum vero similis ruinae strages erat. Circa currum Darii jacebant nobilissimi duces, ante oculos regis egregia morte defuncti, omnes in ora proni, sicut dimicantes procubuerant, ad-

verso corpore vulneribus acceptis. Inter hos Atizyes et Rheomithres, et Sabaces praetor Aegypti, magnorum exercituum praefecti, noscitabantur: circa eos cumulata erat peditum equitumque obscurior turba. Macedonum quoque non quidem multi, sed promptissimi tamen caesi sunt. Inter quos Alexandri dextrum femur leviter mucrone perstrictum est.

XXVII. Jamque qui Darium vehebant equi, confossi hastis et dolore efferati, jugum quatere et regem curru excutere coeperant: cum ille, veritus ne vivus veniret in hostium potestatem, desilit, et in equum qui ad hoc sequebatur imponitur; insignibus quoque imperii, ne fugam proderent, indecore abjectis. Tum vero ceteri dissipantur metu, et qua cuique patebat ad fugam via, erumpunt, arma jacientes quae paulo ante ad tutelam corporum sumpserant: adeo pavor etiam auxilia formidat. Instabat fugientibus eques a Parmenione missus; et forte in id cornu omnes fuga abstulerat. At in dextro Persae Thessalos equites vehementer urgebant. Jamque una ala ipso impetu proculcata erat, cum Thessali strenue, circumactis equis dilapsi, rursus in praelium redeunt, sparsosque et incompositos victoriae fiducia barbaros ingenti caede prosternunt. Equi pariter equitesque Persarum serie laminarum graves, agmen, quod celeritate maxime constat, aegre moliebantur; quippe in circumagendis equis suis Thessali multos occupaverant. Hac tam prospera pugna nunciata, Alexander, non ante ausus persequi barbaros, utrimque jam victor instare fugientibus coepit. Haud amplius regem quam mille equites sequebantur, cum ingens multitudo hostium caderet. Sed quis aut in victoria aut in fuga copias numerat? Agebantur ergo a tam paucis pecorum modo; et idem metus, qui cogebat fugere, fugientes morabatur.

XXVIII. At Graeci, qui in Darii partibus steterant, Amynta duce, (praetor hic Alexandri fuit, nunc transfuga) abrupti a ceteris, haud sane fugientibus similes evaserant. Barbari longe diversam fugam intenderunt: alii, qua rectum iter in Persidem ducebat; quidam circumitu rupes saltusque montium occultos petivere; pauci castra Darii. Sed jam illa quoque hostis victor intraverat, omni quidem opulentia ditia. Ingens auri

argentique pondus, non belli sed luxuriae apparatum, diripuerant milites; cumque plus raperent, passim strata erant itinera vilioribus sarcinis, quas in comparatione meliorum avaritia contempserat. Jamque ad feminas perventum erat, quibus, quo cariora ornamenta sunt, violentius detrahebantur: nec corporibus quidem vis ac libido parcebat. Omnia planctu tumultuque, prout cuique fortuna erat, [castra] repleverant; nec ulla facies mali deerat, cum per omnes ordines aetatesque victoris crudelitas ac licentia vagaretur. Tunc vero impotentis fortunae species conspici potuit, cum ii, qui Dario tabernaculum exornaverant, omni luxu et opulentia instructum, eadem illa Alexandro, quasi veteri domino, reservabant. Namque id solum intactum omiserant milites, ita tradito more, ut victorem victi regis tabernaculo exciperent.

XXIX. Sed omnium oculos animosque in semet converterunt captivae mater conjuxque Darii; illa non majestate solum, sed etiam aetate venerabilis; haec formae pulchritudine, nec illa quidem sorte corrupta. Acceperat in sinum filium, nondum sextum aetatis annum egressum, in spem tantae fortunae, quantam paulo ante pater ejus amiserat, genitum. At in gremio anus aviae jacebant adultae virgines duae, non suo tantum, sed etiam illius moerore confectae. Ingens circa [eam] nobilium feminarum turba constiterat, laceratis crinibus abscissaque veste, pristini decoris immemores, reginas dominasque veris quondam, tunc alienis nominibus invocantes. Illae suae calamitatis oblitae, utro cornu Darius stetisset, quae fortuna discriminis fuisset, requirebant: negabant se captas, si viveret rex. Sed illum equos subinde mutantem longius fuga abstulerat. In acie autem caesa sunt Persarum peditum centum millia; decem vero millia interfecta equitum. At ex parte Alexandri quatuor et quingenti saucii fuere; triginta omnino et duo ex peditibus desiderati sunt: equitum centum quinquaginta interfecti. Tantulo impendio ingens victoria stetit.

XXX. 12. Rex diu Darium persequendo fatigatus, posteaquam et nox appetebat et eum assequendi spes non erat, in castra paulo ante a suis capta pervenit. Invi-

tari deinde amicos quibus maxime assueverat jussit: quippe summa duntaxat cutis in femore perstricta non prohibebat interesse convivio; quum repente e proximo tabernaculo lugubris clamor, barbaro ululatu planctuque permistus, epulantes conterruit. Cohors quoque quae excubabat ad tabernaculum regis, verita ne majoris motus principium esset, armare se coeperat. Causa pavoris subiti fuit, quod mater uxorque Darii, cum captivis mulieribus nobilibus, regem, quem interfectum esse credebant, ingenti gemitu ejulatuque deflebant. Unus namque e captivis spadonibus, qui forte ante ipsarum tabernaculum steterat, amiculum, quod Darius, (sicut paulo ante dictum est) ne cultu proderetur, abjecerat, in manibus ejus qui repertum ferebat, agnovit; ratusque interfecto detractum esse, falsum nuncium mortis ejus attulerat. Hoc mulierum errore comperto, Alexander fortunae Darii et pietati earum illacrymasse fertur. Ac primo Mithrenem, qui Sardes tradiderat, peritum Persicae linguae, ire ad consolandas eas jusserat. Veritus deinde, ne proditor captivarum iram doloremque gravaret, Leonnatum ex purpuratis suis misit, jussum indicare, falso lamentari eas Darium vivum. Ille cum paucis armigeris in tabernaculum, in quo captivae erant, pervenit, missumque a rege se nunciari jubet. At ii qui in vestibulo erant, ut armatos conspexere, rati actum esse de dominis, in tabernaculum currunt, vociferantes, adesse supremam horam, missosque qui occiderent captas. Itaque, ut quae nec prohibere possent, nec admittere auderent, nullo responso dato, tacitae opperiebantur victoris arbitrium. Leonnatus, expectato diu qui se intromitteret, posteaquam nemo procedere audebat, relictis in vestibulo satellitibus, intrat in tabernaculum. Ea ipsa res turbaverat feminas, quod irrupisse non admissus videbatur. Itaque mater et conjux provolutae ad pedes orare coeperunt, ut, priusquam interficerentur, Darii corpus ipsis patrio more sepelire permitteret: functas supremo in regem officio, se impigre morituras. Leonnatus, et vivere Darium, et ipsas non incolumes modo, sed etiam apparatu pristinae fortunae reginas fore. Tum mater Darii allevari se passa est.

XXXI. Alexander postera die, cum cura sepultis militibus quorum corpora invenerat, Persarum quoque nobilissimis eundem honorem haberi jubet; matrique Darii permittit, quos vellet, patrio more sepelire. Illa paucos arcta propinquitate conjunctos pro habitu praesentis fortunae humari jussit; apparatum funerum, quo Persae suprema officia celebrarent, invidiosum fore existimans, quum victores haud pretiose cremarentur. Jamque justis defunctorum corporibus solutis, praemittit ad captivas qui nunciarent ipsum venire; inhibitaque comitantium turba, tabernaculum cum Hephaestione intrat. Is longe omnium amicorum carissimus erat regi, cum ipso pariter educatus, secretorum omnium arbiter: libertatis quoque in admonendo eo non alius jus habebat; quod tamen ita usurpabat, ut magis a rege permissum quam vindicatum ab eo videretur: et sicut aetate par erat regi, ita corporis habitu praestabat. Ergo reginae, illum regem esse ratae, suo more veneratae sunt. Inde spadonibus captivis, quis Alexander esset, monstrantibus, Sysigambis advoluta est pedibus ejus, ignorationem nunquam antea visi regis excusans. Quam manu allevans rex, 'Non errasti,' inquit, 'mater, nam et hic Alexander est.'

XXXII. Equidem, si hac continentia animi ad ultimum vitae perseverare potuisset, feliciorem fuisse crederem quam visus est esse, quum Liberi patris imitaretur triumphum, ab Hellesponto usque ad Oceanum omnes gentes victoria emensus. Vicisset profecto superbiam atque iram, mala invicta; abstinuisset inter epulas caedibus amicorum: egregiosque bello viros, et tot gentium secum domitores, indicta causa, veritus esset occidere. Sed nondum fortuna se animo ejus infuderat: itaque orientem eam moderate et prudenter tulit: ad ultimum, magnitudinem ejus non cepit. Tum quidem ita se gessit, ut omnes ante eum reges et continentia et clementia vincerentur. Virgines enim regias excellentis formae tam sancte habuit, qnam si eodem quo ipse parente genitae forent. Conjugem ejusdem, quam nulla aetatis suae pulchritudine corporis vicit, adeo ipse non violavit, ut summam adhibuerit curam ne quis captivo corpori illuderet. Omnem cultum reddi feminis jussit,




2.8
2.5
3.2
2.2
2.0
1.0

nec quicquam ex pristinae fortunae magnificentia captivis praeter fiduciam defuit. Itaque Sysigambis, 'Rex,' inquit, 'mereris ut ea precemur tibi, quae Dario nostro quondam precatae sumus: et, ut video, dignus es qui tantum regem non felicitate solum sed etiam aequitate superaveris. Tu quidem matrem me et reginam vocas; sed ego me tuam famulam esse confiteor. Et praeteritae fortunae fastigium capio, et praesentis jugum pati possum. Tua interest, quantum in nos licuerit, si id potius clementia quam saevitia vis esse testatum.' Rex bonum animum habere eas jussit; Darii deinde filium collo suo admovit. Atque nihil ille conspectu tunc primum a se visi conterritus cervicem ejus manibus amplectitur. Motus ergo rex constantia pueri, Hephaestionem intuens, 'Quam vellem,' inquit, 'Darius aliquid ex hac indole hausisset!'

XXXIII. Tum tabernaculo egressus, tribus aris in ripa Pinari amnis Jovi atque Herculi Minervaeque sacratis, Syriam petit; Damascum, ubi regis gaza erat, Parmenione praemisso. 13. Atque is quum praecessisse Darii satrapam comperisset, veritus ne paucitas suorum sperneretur, arcessere majorem manum statuit. Sed forte in exploratores ab eo praemissos incidit natione Mardus, qui, ad Parmenionem perductus, literas ad Alexandrum a praefecto Damasci missas tradit ei: nec dubitare eum, quin omnem regiam supellectilem cum pecunia traderet, adjecit. Parmenio, asservari eo jusso, literas aperit, in queis erat scriptum, ut mature Alexander aliquem ex ducibus suis mitteret cum manu exigua. Itaque re cognita, Mardum, datis comitibus, ad proditorem remittit. Ille e manibus custodientium lapsus Damascum ante lucem intrat. Turbaverat ea res Parmenionis animum insidias timentis: et ignotum iter sine duce non audebat ingredi. Felicitati tamen regis sui confisus, agrestes qui duces itineris essent excipi jussit: quibus celeriter repertis, quarto die ad urbem pervenit, jam metuente praefecto ne sibi fides habita non esset. Igitur quasi parum munimentis oppidi fidens, ante solis ortum pecuniam regiam [*gazam* Persae vocant) cum pretiosissimis rerum efferri jubet, fugam simulans; revera, ut praedam hosti offerret.

XXXIV. Multa millia virorum feminarumque excedentem oppido sequebantur: omnibus miserabilis turba, praeter eum cujus fidei commissa fuerat: quippe quo major proditoris merces foret, objicere hosti parabat gratiorem omni pecunia praedam, nobiles viros, praetorum Darii conjuges liberosque: praeter hos urbium Graecarum legatos, quos Darius, velut in arce tutissima, in proditoris reliquerat manibus. *Gangabas* Persae vocant humeris onera portantes: hi quum frigus tolerare non possent, (quippe et procella subito nivem effuderat, et humus rigebat gelu) tum adstrictas vestes, quas cum pecunia portabant, auro et purpura insignes induunt; nullo prohibere auso, quum fortuna regis etiam humillimis in ipsum licentiam faceret. Praebuere ergo Parmenioni non spernendi agminis speciem: qui intentiore cura suos quasi ad justum praelium paucis adhortatus, equis calcaria subdere jubet, et acri impetu in hostem invehi. At illi qui sub oneribus erant, omissis per metum, capessunt fugam. Armati, qui eos prosequebantur eodem metu arma jactare ac nota diverticula petere coeperunt. Praefectus quasi et ipse conterritus [simulans] cuncta pavore compleverat. Jacebant totis campis opes regiae: illa pecunia stipendio ingenti militum praeparata, ille cultus tot nobilium virorum, tot illustrium feminarum, aurea vasa, aurei freni, tabernacula regali magnificentia ornata, vehicula quoque a suis destituta, ingentis opulentiae plena: facies etiam praedantibus tristis, si qua re avaritia moveretur: quippe tot annorum incredibili et fidem excedente fortuna cumulata, tunc alia stirpibus lacerata, alia, in coenum demersa eruebantur: non sufficiebant praedantium manus praedae.

XXXV. Jamque etiam ad eos qui primi fugerant ventum erat. Feminae pleraeque parvos trahentes liberos ibant: inter quas tres fuere virgines, Ochi qui ante Darium regnaverat filiae; olim quidem ex fastigio paterno rerum mutatione detractae, sed tum sortem earum crudelius aggravante fortuna. In eodem grege uxor quoque ejusdem Ochi fuit, Oxathrisque (frater hic erat Darii) filia, et conjux Artabazi principis purpuratorum, et filius cui Ilioneo fuit nomen. Pharnabazi quo-

que, cui summum imperium maritimae orae rex dederat, uxor cum filio excepta est. Mentoris filiae tres, ac nobilissimi ducis Memnonis conjux et filius: vixque ulla domus purpurati fuit tantae cladis expers. Lacedaemonii quoque et Athenienses, societatis fide violata, Persas secuti; Aristogiton Dropides et Iphicrates, inter Athenienses genere famaque longe clarissimi: Lacedaemonii, Pausippus et Onomastorides, cum Monimo et Callicratide: ii quoque domi nobiles. Summa pecuniae signatae fuit, talentorum duo millia et sexcenta; facti argenti pondus quingenta aequabat. Praeterea, triginta millia hominum, cum septem millibus jumentorum dorso onera portantium, capta sunt. Ceterum dii tantae fortunae proditorem celeriter debita poena persecuti sunt. Namque unus e consciis ejus, credo, regis vicem etiam in illa sorte reveritus, interfecti [proditoris] caput ad Darium tulit, opportunum solatium prodito: quippe et ultus inimicum erat, et nondum in omnium animis memoriam majestatis suae exolevisse cernebat.

QUINTI CURTII RUFI LIBER QUARTUS.

ARGUMENTUM.

I. Darius ad Euphraten contendit: Alexander, literis a Dario superbe scriptis regie respondet. Abdalonymum Sidoniis regem praeficit. Amyntas transfuga, miro modo a Persis occiditur. Variae variis locis praefectorum Darii clades. II. Tyrii, Alexandrum recipere recusantes, obsidentur. III. Dubiis belli eventibus Tyri obsidio nobilitatur. IV. Tandem Tyrus, vi capta, maximaque hominum strage corrupta, luctuoso deformatur incendio. V. Darii iterata de pace ad Alexandrum submissior legatio, qua repudiata, Graeci Alexandrum corona aurea donant: ille autem, per praefectos, multas in potestatem suam redigit provincias. VI. Ad bellum dum se accingit Darius, Alexander Gazam expugnat: ejusque praefectum Batim crudeli afficit supplicio. VII. Profectio, et varia Alexandri quaesita, ad Jovis Hammonis oraculum. VIII. In Aegypto Alexandria condita; variaeque Alexandri bellicae expeditiones. IX. Darius ad Arbelas pervenit, eoque invito Alexander Tigrim superat. X. Milites, ob Lunae defectum turbatos, per Aegyptios vates confirmat Alexander: Persas vastatores conjicit in fugam. Darii uxor captiva, maerore confecta, supremum diem claudit, unde Alexandri lacrymae, Darii suspiciones, luctus et vota. XI. Pacem tertio quaesitam Darius non impetrat: imo ad deditionem, aut ad bellum, ab Alexandro provocatur. XII. Ad praelium dum Persarum ingens exercitus paratur Macedones Panico quodam defuncti terrore, arma alacriter capessunt. XIII. Consilia de nocturno praelio Parmenionis et Polypercontis Alexander damnat: somnoque refectus interrito vultu suos ad pugnam accendit. XIV. Alexandri ad Graecorum, Dariique ad Persarum exercitus, ante pugnam orationes. XV. Cruenti ad Arbelas praelii descriptio. Victor Alexander, Darium victum persequitur. XVI. Parmenio in discrimine constitutus, Alexandrum retrahit. Tandem integra victoria potiti Macedones reliquos Persas, multis suorum millibus desideratis, fuga sibi quaerere salutem cogunt.

I. Darius tanti modo exercitus rex, qui triumphantis magis quam dimicantis more curru sublimis inierat praelium, per loca, quae prope immensis agminibus compleverat, jam inania et ingenti solitudine vasta fugiebat. Pauci regem sequebantur: nam nec eodem omnes fugam intenderant, et deficientibus equis, cursum eorum, quos rex subinde mutabat, aequare non poterant. Unchas deinde pervenit, ubi excepere eum Graecorum quatuor millia, cum quibus ad Euphraten contendit; id demum credens fore ipsius, quod celeritate praecipere potuisset. At Alexander Parmenionem, per quem apud Damascum recepta erat praeda, jussum eam ipsam et captivos diligenti asservare custodia, Syriae, quam Coelen vocant, praefecit. Novum imperium Syri nondum belli cladibus satis domiti aspernabantur: sed celeriter subacti, obedienter imperata fecerunt. Aradus quoque insula deditur regi. Maritimam tum oram, et pleraque longius etiam a mari recedentia, rex ejus insulae Strato possidebat: quo in fidem accepto, castra movit ad urbem Marathon. Ibi illi literae a Dario redduntur; quibus, ut superbe scriptis, vehementer offensus est. Praecipue eum movit, quod Darius sibi regis titulum, nec eundem Alexandri nomini adscripserat. Postulabat autem magis quam petebat, ut accepta pecunia, quantamcunque tota Macedonia caperet, matrem sibi ac conjugem liberosque restitueret; de regno, aequo, si vellet, Marte contenderet. Si saniora consilia tandem pati potuisset, contentus patrio, cederet alieni imperii finibus: socius amicusque esset: in ea se fidem et dare paratum et accipere.

II. Contra Alexander in hunc maxime modum rescripsit: 'Rex Alexander Dario. Ille, cujus nomen sumpsisti, Darius, Graecos, qui oram Hellesponti tenent, coloniasque Graecorum Ionias omni clade vastavit; cum magno deinde exercitu mare trajecit, illato Macedoniae et Graeciae bello. Rursus [rex] Xerxes ad oppugnandos nos cum immanium barbarorum copiis venit: qui navali praelio victus, Mardonium tamen reliquit in Graecia, ut absens quoque popularetur urbes, agros ureret. Philippum vero parentem meum quis ignorat ab iis interfectum esse, quos ingentis pecuniae spe

solicitaverant vestri? Impia enim bella suscipitis, et quum habeatis arma, licemini hostium capita: sicut tu proxime talentis mille, tanti exercitus rex, percussorem in me emere voluisti. Repello igitur bellum, non infero. Et diis quoque pro meliore stantibus causa, magnam partem Asiae in ditionem redegi meam: teipsum acie vici: quem etsi nihil a me impetrare oportebat, utpote qui ne belli quidem in me jura servaveris, tamen, si veneris supplex, et matrem et conjugem et liberos sine pretio recepturum te esse promitto. Et vincere et consulere victis scio. Quod si te nobis committere times, dabimus fidem impune venturum. De cetero, cum mihi scribes, memento non solum regi te, sed etiam tuo, scribere.' Ad hanc perferendam Thersippus missus, ipse in Phoenicen deinde descendit, et oppidum Byblon traditum recepit.

III. Inde ad Sidona ventum est, urbem vetustate famaque conditorum inclytam. Regnabat in ea Strato Darii opibus adjutus; sed quia deditionem magis popularium quam sua sponte fecerat, regno visus indignus: Hephaestionique permissum, ut, quem eo fastigio e Sidoniis dignissimum arbitraretur, constitueret regem. Erant Hephaestioni hospites, clari inter suos juvenes; qui, facta ipsis potestate regnandi, negaverunt quemquam patrio more in id fastigium recipi, nisi regia stirpe ortum. Admiratus Hephaestio magnitudinem animi spernentis quod alii per ignes ferrumque peterent: 'Vos quidem macti virtute,' inquit, 'estote, qui primi intellexistis, quanto majus esset regnum fastidire quam accipere: ceterum date aliquem regiae stirpis, qui meminerit a vobis acceptum habere se regnum.' At illi, quum multos imminere tantae spei cernerent, singulis amicorum Alexandri ob nimiam regni cupiditatem adulantes, statuunt, neminem esse potiorem quam Abdalonymum quendam, longa quidem cognatione stirpi regiae annexum, sed ob inopiam suburbanum hortum exigua colentem stipe. Causa ei paupertatis, sicut plerisque, probitas erat: intentusque operi diurno, strepitum armorum, qui totam Asiam concusserat, non exaudiebat.

IV. Subito deinde, de quibus ante dictum est cum regiae vestis insignibus hortum intrant, quem forte

steriles herbas eligens Abdalonymus repurgabat. Tunc *rege* eo salutato, alter ex his: 'Habitus,' inquit, 'hic quem cernis in meis manibus cum isto squalore permutandus tibi est: ab'ue corpus illuvie aeternisque sordibus squalidum: cape regis animum, et in eam fortunam, qua dignus es, istam continentiam profer; et cum in regali solio residebis, vitae necisque omnium civium dominus, cave obliviscaris hujus statûs, in quo accipis regnum: immo hercule, propter quem.' Somnio similis res Abdalonymo videbatur. Interdum, satisne sani essent, qui tam proterve sibi illuderent, percontabatur. Sed ut cunctanti squalor ablutus est, et injecta vestis purpura auroque distincta, et fides a jurantibus facta; serio jam rex, iisdem comitantibus, in regiam pervenit. Fama, ut solet, strenue tota urbe discurrit: aliorum studium, aliorum indignatio eminebat. Ditissimus quisque humilitatem inopiamque ejus apud amicos Alexandri criminabatur. Admitti eum rex protinus jussit, diuque contemplatus, 'Corporis,' inquit, 'habitus famae generis non repugnat: sed libet scire, inopiam qua patientia tuleris.' Tum ille, 'Utinam,' inquit, 'eodem animo regnum pati possim. Hae manus suffecere desiderio meo: nihil aventi nihil defuit.' Magnae indolis specimen ex hoc sermone Abdalonymi cepit. Itaque non Stratonis modo regiam supellectilem attribui ei jussit, sed pleraque etiam ex Persica praeda: regionem quoque urbi appositam ditioni ejus adjecit.

V. Interea Amyntas, quem ad Persas ab Alexandro transfugisse diximus, cum quatuor millibus Graecorum ipsum ex acie persecutis, fuga Tripolin pervenit. Inde in naves militibus impositis, Cyprum transmisit: et cum in illo statu rerum id quemque quod occupasset habiturum arbitraretur, velut certo jure possessum, Aegyptum petere decrevit, utrique regi hostis, et semper ex ancipiti mutatione temporum pendens: hortatusque milites ad spem tantae rei, docet Sabacem praetorem Aegypti cecidisse in acie: Persarum praesidium et sine duce esse et invalidum: Aegyptios semper praetoribus eorum infensos, pro sociis ipsos, non pro hostibus aestimaturos. Omnia experiri necessitas cogebat: quippe, cum primas spes fortuna destituit, futura praesentibus videntur esse

potiora. Igitur conclamant, duceret quo videretur. Atque ille utendum animis, dum spe calerent, ratus, ad Pelusii ostium penetrat, simulans a Dario se esse praemissum. Potitus ergo Pelusii, Memphin copias promovit: ad cujus famam Aegyptii, vana gens, et novandis quam gerendis aptior rebus, ex suis quisque vicis urbibusque ad hoc ipsum concurrunt, ad delenda praesidia Persarum: qui territi, tamen spem retinendi Aegyptum non amiserunt. Sed eos Amyntas praelio superatos in urbem compellit, castrisque positis, victores ad populandos agros eduxit, ac velut in medio positis omnibus hostium, cuncta agebantur. Itaque Mazaces, quamquam infelici praelio suorum animos territos esse cognoverat, tamen palantes, et victoriae fiducia incautos ostentans, perpulit ne dubitarent ex urbe erumpere, et res amissas recuperare. Id consilium non ratione prudentius quam eventu felicius fuit. Ad unum omnes cum ipso duce occisi sunt. Has poenas Amyntas utrique regi dedit, nihilo magis ei ad quem transfugerat fidus, quam illi quem deseruerat.

VI. Darii praetores, qui praelio apud Isson superfuerant, cum omni manu quae fugientes secuta erat, assumpta etiam Cappadocum et Paphlagonum juventute, Lydiam recuperare tentabant. Antigonus praetor Alexandri Lydiae praeerat: qui, quamquam plerosque militum ex praesidiis ad regem dimiserat, tamen, barbaris spretis, in aciem suos eduxit. Eadem illic quoque fortuna partium fuit: tribus praeliis alia atque alia regione commissis, Persae funduntur. Eodem tempore classis Macedonum ex Graecia accita, Aristomenem, qui ad Hellesponti oram recuperandam a Dario erat missus, captis ejus aut mersis navibus, superat. A Milesiis deinde Pharnabazus praefectus Persicae classis pecunia exacta, et praesidio iu urbem Chium introducto, centum navibus Andrum, et inde Siphnum petiit: eas quoque insulas praesidiis occupat, pecunia mulctat. Magnitudo belli, quod ab opulentissimis Europae Asiaeque regibus in spem totius orbis occupandi gerebatur, Graeciae quoque et Cretae arma commoverat. Agis, Lacedaemoniorum rex, octo millibus Graecorum, qui ex Cilicia profugi domos repetierant, contractis, bellum Antipatro

Macedoniae praefecto moliebatur. Cretenses, has aut illas partes secuti, nunc Spartanorum, nunc Macedonum praesidiis occupabantur. Sed leviora inter illos fuere discrimina: unum certamen, ex quo cetera pendebant, intuente fortuna.

VII. 2. Jam tota Syria, jam Phoenice quoque, excepta Tyro, Macedonum erant: habebatque rex castra in continenti, a qua urbem angustum fretum dirimit. Tyrus, et claritate et magnitudine ante omnes urbes Syriae Phoenicesque memorabilis, facilius societatem Alexandri acceptura videbatur, quam imperium. Coronam igitur auream legati donum afferebant commeatusque large et hospitaliter ex oppido advexerant. Ille dona, ut ab amicis, accipi jussit, benigneque legatos allocutus, Herculi, quem praecipue Tyrii colerent, sacrificare velle se dixit: Macedonum reges credere, ab illo deo ipsos genus ducere: se vero, ut id faceret, etiam oraculo monitum. Legati respondent, esse templum Herculis extra urbem, in ea sede quam Palaetyron ipsi vocent: ibi regem deo sacrum rite facturum. Non tenuit iram Alexander, cujus alioquin potens non erat. 'Itaque vos quidem,' inquit, 'fiducia loci, quod insulam incolitis pedestrem hunc exercitum spernitis: sed brevi ostendam, in continenti vos esse. Proinde sciatis licet, aut intraturum me urbem, aut oppugnaturum.' Cum hoc responso dimissos monere amici coeperunt, ut regem, quem Syria, quem Phoenice recepisset, ipsi quoque urbem intrare paterentur. At illi loco satis fisi, obsidionem ferre decreverunt.

VIII. Namque urbem a continenti quatuor stadiorum fretum dividit, Africo maxime objectum; crebros ex alto fluctus in littus evolvit; nec accipiendo operi, quo Macedones continenti insulam jungere parabant, quidquam magis quam ille ventus obstabat. Quippe vix leni et tranquillo mari moles agi possunt; Africus vero prima quaeque congesta pulsu illisa maris subruit: nec ulla tam firma moles est, quam non exedant undae per nexus operum manantes; et, ubi acrior flatus exsistit, summi operis fastigio superfusae. Praeter hanc difficultatem haud minor alia erat: muros turresque urbis praealtum mare ambiebat. Non tormenta, nisi e navi-

bus procul excussa, mitti, non scalae moenibus applicari poterant; praeceps in salum murus pedestre interceperat iter: naves nec habebat rex, et, si admovisset, pendentes et instabiles missilibus arceri poterant. Inter quae, parva dictu res Tyriorum fiduciam accendit. Carthaginiensium legati ad celebrandum anniversarium sacrum more patrio tunc venerant: quippe Carthaginem Tyrii condiderunt, semper parentum loco culti. Hortari ergo Poeni coeperunt, ut obsidionem forti animo paterentur: brevi Carthagine auxilia ventura: namque ea tempestate magna ex parte Punicis classibus maria obsidebantur.

IX. Igitur bello decreto, per muros turresque tormenta disponunt: arma junioribus dividunt: opificesque, quorum copia urbs abundabat, in officinas distribuunt; omnia belli apparatu strepunt: ferreae quoque manus (*harpagonas* vocant) quas operibus hostium injicerent, corvique, et alia tuendis urbibus excogitata, praeparabantur. Sed cum fornacibus ferrum, quod excudi oportebat, impositum esset, admotisque follibus ignem flatu accenderent, sanguinis rivi sub ipsis flammis exstitisse dicuntur: idque omen in Macedonum metum verterunt Tyrii. Apud Macedonas quoque, cum forte panem quidam militum frangerent, manantis sanguinis guttas notaverunt: territoque rege, Aristander, peritissimus vatum, si extrinsecus cruor fluxisset, Macedonibus id triste futurum ait: contra, cum ab interiore parte manaverit, urbi quam obsidere destinassent exitium portendere. Alexander, cum et classem procul haberet, et longam obsidionem magno sibi ad cetera impedimento videret fore, caduceatores qui ad pacem eos compellerent misit: quos Tyrii contra jus gentium occisos praecipitaverunt in altum. Atque ille, suorum tam indigna nece commotus, urbem obsidere statuit. Sed ante jacienda moles erat, quae urbem continenti committeret. Ingens ergo animos militum desperatio incessit, cernentium profundum mare, quod vix divina ope posset impleri: Quae saxa tam vasta, quas tam proceras arbores posse reperiri? exhauriendas esse regiones, ut illud spatium aggeraretur; et exaestuare semper fretum, quoque arctius volutetur inter insulam et continentem,

hoc acrius furere. At ille, haudquaquam rudis tractandi militares animos, speciem sibi Herculis in somno oblatam esse pronunciat, dextram porrigentis : illo duce, illo aperiente, in urbem intrare se visum. Inter haec, caduceatores interfectos, gentium jura violata, referebat : unam esse urbem quae cursum victoris morari ausa esset. Ducibus deinde negotium datur, ut suos quisque castiget ; satisque omnibus stimulatis, opus orsus est. Magna vis saxorum ad manum erat, Tyro vetere praebente ; materies ex Libano monte ratibus et turribus faciendis vehebatur.

X. Jamque a fundo maris in altitudinem modicam opus excreverat : nondum tamen aquae fastigium aequabat ; et quo longius moles agebatur a litore, hoc magis, quidquid ingerebatur, praealtum absorbebat mare : quum Tyrii, parvis navigiis admotis, per ludibrium exprobrabant, illos armis inclytos dorso, sicut jumenta, onera gestare ; interrogabant etiam, num major Neptuno esset Alexander ? Haec ipsa insectatio alacritatem militum accendit. Jamque paululum moles aquam eminebat, et simul aggeris latitudo crescebat, urbique admovebatur ; cum Tyrii, magnitudine molis, cujus incrementum eos ante fefellerat, conspecta, levibus navigiis nondum commissum opus circumire coeperunt ; missilibus eos quoque qui pro opere stabant incessere. Multis ergo impune vulneratis, cum et removere et appellere scaphas in expedito esset, ad curam semetipsos tuendi ab opere converterant. Igitur rex munientibus coria velaque jussit obtendi, ut extra teli ictum essent ; duasque turres ex capite molis erexit, e quibus in subeuntes scaphas tela ingeri possent. Contra, Tyrii navigia procul a conspectu hostium litori appellunt, expositisque militibus eos qui saxa gestabant obtruncant. In Libano quoque Arabum agrestes, incompositos Macedonas aggressi, triginta fere interficiunt, paucioribus captis. 3. Ea res Alexandrum dividere copias coëgit. Et ne segniter assidere uni urbi videretur, operi Perdiccam Craterumque praefecit ; ipse cum expedita manu Arabiam petiit.

XI. Inter haec Tyrii navem magnitudine eximia, saxis arenaque a puppi oneratam, ita ut multum prora emineret, bitumine ac sulphure illitam, remis concitave-

runt: et, cum magnam vim venti vela quoque concepissent, celeriter ad molem successit. Tunc, prora ejus accensa, remiges desiliere in scaphas, quae ad hoc ipsum praeparatae sequebantur: navis autem, igne concepto, latius fundere incendium coepit; quod, priusquam posset occurri, turres et cetera opera in capite molis posita comprehendit. At qui desilierant in parva navigia, faces, et quidquid alendo igni aptum erat, in eadem opera ingerunt. Jamque non modo Macedonum turres, sed etiam summa tabulata conceperant ignem; quum ii qui in turribus erant partim haurirentur incendio, partim, armis omissis, in mare semetipsi immitterent. At Tyrii, qui capere eos quam interficere mallent, natantium manus stipitibus saxisque lacerabant, donec debilitati impune navigiis excipi possent. Nec incendio solum opera consumpta; sed forte eodem die vehementior ventus motum ex profundo mare illisit in molem, crebrisque fluctibus compages operis verberatae se laxavere, saxaque interluens unda medium opus rupit. Prorutis igitur lapidum cumulis, quibus injecta terra sustinebatur, praeceps in profundum ruit: tantaeque molis vix ulla vestigia invenit Arabia rediens Alexander.

XII. Hic, quod in adversis rebus solet fieri, alius in alium culpam referebat, quum omnes verius de saevitia maris queri possent. Rex novi operis molem orsus, in adversum ventum non latere, sed recta fronte direxit. Ea cetera opera, velut sub ipsa latentia, tuebatur; latitudinem quoque aggeri adjecit, ut turres in medio erectae procul teli jactu abessent. Totas autem arbores cum ingentibus ramis in altum jaciebant, deinde saxis onerabant; rursus cumulo eorum alias arbores injiciebant: tum humus aggerebatur; superque alia strue saxorum arborumque cumulata, velut quodam nexu continens opus junxerant. Nec Tyrii, quidquid ad impediendam molem excogitari poterat, segniter exsequebantur. Praecipuum auxilium erat, qui procul hostium conspectu subibant aquam, occultoque lapsu ad molem usque penetrabant, falcibus palmites arborum eminentium ad se trahentes: quae ubi sequutae erant, pleraque secum in profundum dabant; tum levatos onere stipites truncosque arborum haud aegre moliebantur: deinde totum

opus, quod stipitibus fuerat innixum, fundamento lapso sequebatur. Aegro animi Alexandro, et utrum perseveraret, an abiret, satis incerto, classis Cypro advenit, eodemque tempore Cleander cum Graecis militibus in Asiam nuper advectus. Centum et octoginta navium classem in duo dividit cornua; laevum Pnytagoras, rex Cypriorum, cum Cratero tuebatur: Alexandrum in dextro quinqueremis regia vehebat. Nec Tyrii, quamquam classem habebant, ausi navale inire certamen, tres omnino naves ante ipsa moenia opposuerunt, quibus rex invectus ipsas demersit.

XIII. Postera die, classe ad moenia admota, undique tormentis, et maxime arietum pulsu, muros quatit; quos Tyrii raptim obstructis saxis refecerunt, interiorem quoque murum, ut, si prior fefellisset, illo se tuerentur, orsi. Sed undique vis mali urgebat: moles intra teli jactum erat; classis moenia circumibat; terrestri simul navalique clade obruebantur. Quippe binas quadriremes Macedones inter se ita junxerant, ut prorae cohaererent, puppes intervallo, quantum capere possent, distarent. Hoc puppium intervallum antennis asseribusque validis deligatis, superque eos pontibus stratis qui militem sustinerent, impleverant; sic in structas quadriremes ad urbem agebant: inde missilia in propugnantes ingerebantur tuto, quia proris miles tegebatur. Media nox erat, quum classem, sicuti dictum est, paratam, circumire muros jubet. Jamque naves urbi undique admovebantur, et Tyrii desperatione torpebant, quum subito spissae nubes intendere se coelo, et, quidquid lucis internitebat, offusa caligine exstinctum est. Tum inhorrescens mare paulatim levari, deinde acriori vento concitatum, fluctus ciere, et inter se navigia collidere. Jamque scindi coeperant vincula, quibus connexae quadriremes erant, ruere tabulata, et cum ingenti fragore in profundum secum milites trahere: neque enim conserta navigia ulla ope in turbido regi poterant: miles ministeria nautarum, remex militis officia turbabat; et, quod in hujusmodi casu accidit, periti ignaris parebant: quippe gubernatores, alias imperare soliti, tum metu mortis jussa exsequebantur. Tandem remis pertinacius everberatum mare, veluti eripientibus

navigia classicis cessit; appulsaque sunt litori, lacerata pleraque.

XIV. Iisdem diebus forte Carthaginensium legati triginta superveniunt, majus obsessis solatium, quam auxilium; quippe domestico bello Poenos impediri, nec de imperio, sed pro salute dimicare nunciabant. Syracusani tunc Africam urebant, et haud procul Carthaginis muris locaverant castra. Non tamen defecere animis Tyrii, quamquam ab ingenti spe destituti erant, sed conjuges liberosque devehendos Carthaginem tradiderunt, fortius quidquid accideret laturi, si carissimam sui partem extra communis periculi sortem habuissent. Quumque unus e civibus concioni indicasset, oblatam esse per somnum sibi speciem Apollinis, quem eximia religione colerent, urbem deserentis, molemque a Macedonibus jactam in salo in sylvestrem saltum esse mutatam; quamquam auctor levis erat, tamen ad deteriora credenda proni metu, aurea catena devinxere simulacrum, araeque Herculis, cujus numini urbem dicaverant, inseruere vinculum, quasi illo deo Apollinem retenturi. Syracusis id simulacrum devexerant Poeni et in majore locaverant patria: multisque aliis spoliis urbium a semet captarum, non Carthaginem magis quam Tyrum ornaverant.

XV. Sacrum quoque, quod quidem diis minime cordi esse crediderim, multis seculis intermissum repetendi auctores quidam erant, ut ingenuus puer Saturno immolaretur; (quod sacrilegium verius quam sacrum, Carthaginenses a conditoribus traditum, usque ad excidium urbis suae, fecisse dicuntur) ac, nisi seniores obstitissent, quorum consilio cuncta agebantur, humanitatem dira superstitio vicisset. Ceterum, efficacior omni arte necessitas, non usitata modo praesidia, sed quaedam etiam nova admovit. Namque ad implicanda navigia, quae muros subibant, validis asseribus corvos et ferreas manus [cum uncis ac falcibus] alligaverant, ut, quum tormento asseres promovissent, subito laxatis funibus injicerent. Unci quoque et falces ex iisdem asseribus dependentes, aut propugnatores, aut ipsa navigia lacerabant. Clypeos vero aereos multo igne torrebant, quos, repletos fervida arena coenoque decocto, e

muris subito devolvebant. Nec ulla pestis magis timebatur: quippe ubi loricam corpusque fervens arena penetraverat, nec ulla vi excuti poterat, et quidquid attigerat perurebat; jacientesque arma, laceratis omnibus queis protegi poterant, vulneribus inulti patebant: corvi vero et ferreae manus tormentis emissae plerosque rapiebant.

XVI. 4. Hic rex fatigatus, statuerat soluta obsidione Aegyptum petere; quippe quum Asiam ingenti celeritate percurrisset, circa muros unius urbis haerebat, tot maximarum rerum opportunitate dimissa. Ceterum, tam discedere irritum quam morari pudebat. Famam quoque, qua plura, quam armis, everterat, ratus leviorem fore, si Tyrum, quasi testem se posse vinci, reliquisset. Igitur ne quid inexpertum omitteret, plures naves admoveri jubet, delectosque militum imponi. Et forte bellua inusitatae magnitudinis super ipsos fluctus dorso eminens, ad molem, quam Macedones jecerant, ingens corpus applicuit, diverberatisque fluctibus allevans semet, utrimque conspecta est; deinde a capite molis rursus alto se immersit, ac modo super undas eminens magna sui parte, modo superfusis fluctibus condita, haud procul munimentis urbis emersit. Utrisque laetus fuit belluae adspectus. Macedones iter jaciendo operi monstrasse eam augurabantur; Tyrii, Neptunum occupati maris vindicem abripuisse belluam, ac molem brevi profecto ruituram: laetique omine eo ad epulas dilapsi oneravere se vino; quo graves, orto sole navigia conscendunt, redimita coronis floribusque: adeo victoriae non omen modo, sed etiam gratulationem praeceperant.

XVII. Forte rex classem in diversam partem agi jusserat, triginta minoribus navigiis relictis in litore; e quibus Tyrii duobus captis, cetera ingenti terruerant metu, donec suorum clamore audito Alexander, classem litori, e quo fremitus acciderat, admovit. Prima e Macedonum navibus quinqueremis velocitate inter ceteras eminens occurrit: quam ut conspexere Tyrii, duae e diverso in latera ejus invectae sunt; in quarum alteram quinqueremis eadem concitata, et ipsa rostro icta est, et illam invicem tenuit. Jamque ea, quae non cohaerebat, libero impetu evecta, in aliud quinqueremis latus inve-

hebatur, quum opportunitate mira triremis e classe Alexandri in eam ipsam, quae quinqueremi imminebat, tanta vi impulsa est, ut Tyrius gubernator in mare excuteretur e puppi. Plures deinde Macedonum naves superveniunt, et rex quoque aderat; quum Tyrii, inhibentes remis, aegre evellere navem quae haerebat, portumque omnia simul navigia repetunt. Confestim rex insequutus, portum quidem intrare non potuit, quum procul e muris missilibus submoveretur, naves autem omnes fere aut demersit aut cepit.

XVIII. Biduo deinde ad quietem dato militibus, jussisque et classem et machinas pariter admovere, ut undique territis instaret; ipse in altissimam turrem ascendit, ingenti animo, periculo majore; quippe, regio insigni et armis fulgentibus conspicuus, unus praecipue telis petebatur. Et digna prorsus spectaculo edidit; multos e muris propugnantes hasta transfixit, quosdam etiam cominus gladio clypeoque impulsos praecipitavit; quippe turris, ex qua dimicabat, muris hostium propemodum cohaerebat. Jamque crebris arietibus saxorum compage laxata, munimenta defecerant, et classis intraverat portum, et quidam Macedonum in turres hostium desertas evaserant; quum Tyrii, tot simul malis victi, alii supplices in templa confugiunt, alii foribus aedium obseratis occupant liberum mortis arbitrium; nonnulli ruunt in hostem, haud inulti tamen perituri: magna pars summa tectorum obtinebat, saxa, et quidquid manibus fors dederat, ingerentes subeuntibus. Alexander, exceptis qui in templa confugerant, omnes interfici, ignemque tectis injici jubet. His per praecones pronunciatis, nemo tamen armatus opem a diis petere sustinuit: pueri virginesque templa compleverant; viri in vestibulo suarum quisque aedium stabant, parata saevientibus turba. Multis tamen saluti fuere, Sidonii, qui intra Macedonum praesidia erant: hi urbem quidem inter victores intraverant, sed cognationis cum Tyriis memores (quippe utramque urbem Agenorem condidisse credebant), multos Tyriorum etiam protegentes, ad sua perduxere navigia: quibus occultatis, Sidona devecti sunt. Quindecim millia hoc furto subducta saevitiae sunt; quantumque sanguinis fusum sit, vel ex hoc ex-

istimari potest, quod intra munimenta urbis sex millia armatorum trucidata sunt. Triste deinde spectaculum victoribus ira praebuit regis: duo millia, in quibus occidendi defecerat rabies, crucibus affixi, per ingens litoris spatium pependerunt. Carthaginensium legatis pepercit, addita denunciatione belli, quod praesentium rerum necessitas moraretur.

XIX. Tyrus septimo mense quam oppugnari coepta erat capta est; urbs, et vetustate originis, et crebra fortunae varietate ad memoriam posteritatis insignis. Condita ab Agenore, diu mare, non vicinum modo, sed quodcumque classes ejus adierunt, ditionis suae fecit; et, si famae libet credere, haec gens literas prima aut docuit, aut didicit. Coloniae certe ejus paene orbe toto diffusae sunt; Carthago in Africa, in Boeotia Thebae, Gades ad Oceanum. Credo libero commeantes mari, saepiusque adeundo ceteris incognitas terras, elegisse sedes juventuti qua tunc abundabant: seu quia crebris motibus terrae, nam hoc quoque traditur, cultores ejus fatigati, nova et externa domicilia armis sibimet quaerere cogebantur. Multis ergo casibus defuncta, et post excidium renata, nunc tandem longa pace cuncta refovente, sub tutela Romanae mansuetudinis adquiescit.

XX. 5. Iisdem ferme diebus Darii literae allatae sunt, tandem ut regi scriptae. Petebat uti filiam suam, Statirae erat nomen, nuptiis Alexander sibi adjungeret. Dotem fore omnem regionem inter Hellespontum et Halyn amnem sitam: inde Orientem spectantibus terris contentum se fore. Si forte dubitaret quod offerretur accipere; nunquam diu eodem vestigio stare fortunam, semperque homines quantancumque felicitatem habeant, invidiam tamen sentire majorem. Vereri, ne se avium modo, quas naturalis levitas ageret ad sidera, inani ac puerili mentis affectu efferret: Nihil difficilius esse, quam in illa aetate tantam capere fortunam: Multas se adhuc reliquias habere, nec semper in angustiis posse deprehendi: transeundum esse Alexandro Euphraten, Tigrinque et Araxen, et Hydaspen, magna munimenta regni sui: veniendum in campos, ubi paucitate suorum erubescendum sit: Mediam, Hyrcaniam, Bactra, et Indos Oceani accolas quando aditurum? ne Sog-

dianos et Arachosios nominaret, ceterasque gentes ad Caucasum et Tanaim pertinentes. Senescendum fore tantum terrarum vel sine praelio obeunti: Se vero ad ipsum vocare desineret: namque illius exitio esse venturum. Alexander iis qui literas attulerant respondit, Darium sibi aliena promittere; quod totum amiserit, velle partiri: Doti sibi dari Lydiam, Ioniam, Aeolidem, Hellesponti oram, victoriae suae praemia: leges autem a victoribus dici, accipi a victis: In utro statu ambo essent, si solus ignoraret, quam primum Marte decerneret: Se quoque quum transisset mare, non Ciliciam aut Lydiam (quippe tanti belli exiguam hanc esse mercedem), sed Persepolim caput regni ejus, Bactra deinde, et Ecbatana, ultimique Orientis oram imperio suo destinasse: Quocunque ille fugere potuisset, ipsum sequi posse: desineret terrere fluminibus, quem sciret maria transisse.

XXI. Reges quidem invicem haec scripserant. Sed Rhodii urbem suam portusque dedebant Alexandro. Ille Ciliciam Socrati tradiderat, Philota regioni circa Tyrum jusso praesidere. Syriam quae Coele appellatur, Andromacho Parmenio tradiderat, bello quod supererat interfuturus. Rex, Hephaestione Phoenices oram classe praetervehi jusso, ad urbem Gazan cum omnibus copiis venit. Iisdem fere diebus solenne erat ludicrum Isthmiorum, quod conventu totius Graeciae celebratur. In eo consilio, ut sunt Graecorum temporaria ingenia, decernunt, 'ut quindecim legarentur ad regem, qui, ob res pro salute Graeciae ac libertate gestas, coronam auream donum victoriae ferrent.' Iidem paulo ante incertae famae captaverant auram, ut, quocumque pendentes animos tulisset fortuna, sequerentur. Ceterum, non ipse modo rex obibat urbes, imperii jugum adhuc recusantes, sed praetores quoque ipsius, egregii duces, pleraque invaserant. Calas Paphlagoniam, Antigonus Lycaoniam: Balacrus, Idarne praetore Darii superato, Miletum cepit: Amphoterus et Hegelochus centum sexaginta navium classe insulas inter Achaiam atque Asiam in ditionem Alexandri redegerunt. Tenedo quoque recepta, Chium, incolis ultro vocantibus, statuerant occupare; sed Pharnabazus Darii praetor, comprehensis qui res ad

Macedonas trahebant, rursus Apollonidi et Athanagorae, suarum partium viris, urbem cum modico praesidio militum tradit. Praefecti Alexandri in obsidione urbis perseverabant: non tam suis viribus, quam ipsorum qui obsidebantur voluntate. Nec fefellit opinio; namque inter Apollonidem et duces militum orta seditio, irrumpendi in urbem occasionem dedit. Quumque porta effracta cohors Macedonum intrasset, oppidani, olim consilio proditionis agitato, aggregant se Amphotero et Hegelocho; Persarumque praesidio caeso, Pharnabazus cum Apollonide et Athanagora vincti traduntur; duodecim triremes cum suo milite ac remige, praeter eas triginta inanes et piratici lembi, Graecorumque tria millia a Persis mercede conducta. His in supplementum copiarum suarum distributis, piratisque supplicio affectis, captivos remiges adjecere classi suae.

XXII. Forte Aristonicus Methymnaeorum tyrannus, cum piraticis navibus, ignarus omnium quae ad Chium acta erant, prima vigilia ad portus claustra successit: interrogatusque a custodibus, quis esset, Aristonicum ad Pharnabazum venire respondit. Illi Pharnabazum quidem jam quiescere et non posse tum adiri, ceterum patere socio atque hospiti portum, et postero die Pharnabazi copiam fore affirmant. Nec dubitavit Aristonicus primus intrare; secuti sunt ducem piratici lembi; ac, dum applicant navigia crepidini portus, objicitur a vigilibus claustrum: et qui proximi excubabant, ab iisdem excitantur; nulloque ex his auso repugnare, omnibus catenae injectae sunt: Amphotero deinde Hegelochoque traduntur. Hinc Macedones transiere Mitylenen, quam Chares Atheniensis nuper occupatam, duorum millium Persarum praesidio tenebat; sed quum obsidionem tolerare non posset, urbe tradita, pactus ut incolumi abire liceret, Imbrum petit. Deditis Macedones pepercerunt.

XXIII. 6. Darius, desperata pace quam per literas legatosque impetrari posse crediderat, ad reparandas vires bellumque impigre renovandum intendit animum. Duces ergo copiarum Babyloniam convenire; Bessum quoque Bactrianorum ducem, quam maximo posset exercitu coacto, descendere ad se jubet. Sunt autem Bac-

triani inter illas gentes promptissimi, horridis ingeniis, multumque a Persarum luxu abhorrentibus, siti haud procul Scytharum bellicosissima gente, et rapto vivere assueti; semperque in armis errant. Sed Bessus, suspecta perfidia, haud sane aequo animo in secundo se continens gradu, regem terrebat: nam quum regnum affectaret, proditio, qua sola id assequi poterat, timebatur. Ceterum Alexander, quam regionem Darius petisset omni cura vestigans, tamen explorare non poterat; more quodam Persarum, arcana regum mira celantium fide: non metus, non spes elicit vocem qua prodantur occulta; vetus disciplina regum silentium vitae periculo sanxerat. Lingua gravius castigatur quam ullum probrum: nec magnam rem sustineri posse credunt ab eo cui tacere grave sit; quod homini facillimum voluerit esse natura. Ob hanc causam Alexander, omnium quae apud hostem gererentur ignarus, urbem Gazan obsidebat. Praeerat ei Betis, eximiae in regem suum fidei modicoque praesidio muros ingentis operis tuebatur.

XXIV. Alexander aestimato locorum situ, agi cuniculos jussit, facili ac levi humo acceptante occultum opus: quippe multam arenam vicinum mare evomit; nec saxa cotesque, quae interpellent specus, obstabant. Igitur ab ea parte, quam oppidani conspicere non possent, opus orsus, ut a sensu ejus averteret, turres muris admoveri jubet. Sed eadem humus admovendis inutilis turribus, desidente sabulo, agilitatem rotarum morabatur, et tabulata turrium perfringebat: multique vulnerabantur impune, quum idem recipiendis qui admovendis turribus labor eos fatigaret. Ergo receptui signo dato, postero die muros corona circumdari jussit. Ortoque sole, priusquam admoveret exercitum, opem deûm exposcens, sacrum patrio more faciebat. Forte praetervolans corvus, glebam quam unguibus ferebat subito omisit, quae quum regis capiti incidisset, resoluta defluxit; ipsa autem avis in proxima turre consedit. Illita erat turris bitumine ac sulphure, in qua alis haerentibus, frustra se allevare conatus, a circumstantibus capitur. Digna res visa, de qua vates consulerentur; et erat non intactus ea superstitione mentis. Ergo Aristander, cui maxima fides habebatur, urbis qui-

dem excidium augurio illo portendi ; ceterum, periculum esse, ne rex vulnus acciperet: itaque monuit, ne quid eo die inciperet. Ille quamquam unam urbem sibi, quo minus securus Aegyptum intraret, obstare aegre ferebat, tamen paruit vati, signumque receptui dedit.

XXV. Hinc animus crevit obsessis, egressique porta recedentibus inferunt signa ; cunctationem hostium fore suam occasionem rati. Sed acrius quam constantius praelium inierunt : quippe, ut Macedonum signa circumagi videre, repente sistunt gradum. Jamque ad regem praeliantium clamor pervenerat, quum denunciati periculi haud sane memor, loricam tamen, quam raro induebat, amicis orantibus sumpsit, et ad prima signa pervenit. Quo conspecto Arabs quidam Darii miles majus fortuna sua facinus ausus, clypeo gladium tegens, quasi transfuga genibus regis advolvitur : ille assurgere supplicem, recipique inter suos jussit. At gladio barbarus strenue in dextram translato, cervicem appetit regis : qui, exigua corporis declinatione evitato ictu, in vanum manum barbari lapsam amputat gladio, denunciato in illum diem periculo, ut arbitrabatur ipse, defunctus. Sed, ut opinor, inevitabile est fatum ; quippe, dum inter primores promptius dimicat, sagitta ictus est : quam per loricam adactam, stantem in humero medicus ejus Philippus evellit. Plurimus deinde sanguis manare coepit ; omnibus territis, quia nunquam tam alte penetrasse telum, lorica obstante, cognoverant. Ipse, ne oris quidem colore mutato, supprimi sanguinem et vulnus obligari jussit. Diu ante ipsa signa, vel dissimulato vel victo dolore, perstiterat; quum suppressus paulo ante sanguis medicamento manare latius coepit : et vulnus quod recens adhuc dolorem non moverat, frigente sanguine, intumuit. Linqui deinde animo et submitti genu coepit ; quem proximi exceptum in castra receperunt : et Betis, interfectum ratus, urbem ovans victoria repetit.

XXVI. At Alexander, nondum percurato vulnere, aggerem, quo moenium altitudinem aequaret, exstruxit ; et pluribus cuniculis muros subrui jussit. Oppidani ad pristinum fastigium moenium novum exstruxere munimentum ; sed ne id quidem turres aggeri impositas

aequare poterat; itaque interiora quoque urbis infesta telis erant. Ultima pestis urbis fuit cuniculo subrutus murus, per cujus ruinas hostis intravit. Ducebat ipse rex antesignanos, et, dum incautius subit, saxo crus ejus affligitur: innixus tamen telo, nondum prioris vulneris obducta cicatrice, inter primores dimicat: ira quoque accensus, quod duo in obsidione urbis ejus acceperat vulnera. Betim, egregia edita pugna, multisque vulneribus confectum deseruerant sui: nec tamen segnius praelium capessebat, lubricis armis suo pariter atque hostium sanguine. Sed quum undique (*unus omnium telis peteretur, ad postremum vivus in potestatem hostium pervenit: quo ad regem*) adducto, insolenti gaudio juvenis elatus, alias virtutis etiam in hoste mirator, 'Non ut voluisti,' inquit, 'morieris, Beti: sed quidquid tormentorum in captivum inveniri potest, passurum esse te cogita.' Ille, non interrito modo, sed contumaci quoque vultu, intuens regem, nullam ad minas ejus reddit vocem. Tum Alexander, 'Videtisne obstinatum ad tacendum?' inquit: 'num genu posuit? num supplicem vocem misit; Vincam tamen silentium, et, si nihil aliud, certe gemitu interpellabo.' Iram deinde vertit in rabiem, jam tum peregrinos ritus nova subeunte fortuna. Per talos enim spirantis lora trajecta sunt, religatumque ad currum traxere circa urbem equi; gloriante rege, Achillem, a quo genus ipse deduceret, imitatum se esse poena in hostem capienda. Cecidere Persarum Arabumque circa decem millia: nec Macedonibus incruenta victoria fuit. Obsidio certe non tam claritate urbis nobilitata est, quam geminato periculo regis; qui Aegyptum adire festinans, Amyntam cum decem triremibus in Macedoniam ad inquisitionem novorum militum misit. Namque praeliis etiam secundis atterebantur copiae, devictarumque gentium militi minor quam domestico fides habebatur.

XXVII. 7. Aegyptii olim Persarum opibus infensi, quippe avare et superbe imperitatum sibi esse credebant, ad spem adventus ejus erexerant animos: utpote qui Amyntam quoque transfugam, et cum precario imperio venientem, laeti recepissent. Igitur ingens multitudo

* Lacuna sic a Freinshemio suppleta.

Pelusium, qua intraturus [rex] videbatur, convenerat. Atque ille septimo die, posteaquum a Gaza copias moverat, in regionem Aegypti, quam nunc *Castra Alexandri* vocant, pervenit. Deinde, pedestribus copiis Pelusium petere jussis, ipse cum expedita delectorum manu Nilo amne vectus est: nec sustinuere adventum ejus Persae, defectione quoque perterriti. Jamque haud procul Memphi erat; in cujus praesidio Mazaces praetor Darii relictus, ocius amne superato, octingenta talenta Alexandro omnemque regiam supellectilem tradidit. A Memphi eodem flumine vectus, ad interiora Aegypti penetrat; compositisque rebus, ita ut nihil ex patrio Aegyptiorum more mutaret, adire Jovis Hammonis oraculum statuit.

XXVIII. Iter expeditis quoque et paucis vix tolerabile ingrediendum erat. Terra coeloque aquarum penuria est: steriles arenae jacent: quas ubi vapor solis accendit, fervido solo exurente vestigia, intolerabilis aestus existit, luctandumque est, non tantum cum ardore et siccitate regionis, sed etiam cum tenacissimo sabulo, quod praealtum, et vestigio cedens, aegre moliuntur pedes. Haec Aegyptii vero majora jactabant. Sed ingens cupido animum stimulabat adeundi Jovem, quem generis sui auctorem, haud contentus mortali fastigio, aut credebat esse, aut credi volebat. Ergo cum iis quos ducere secum statuerat, secundo amne descendit ad Mareotim paludem. Eo legati Cyrenensium dona attulere, pacem, et ut adiret urbes suas, petentes. Ille, donis acceptis, amicitiaque conjuncta, destinata exsequi pergit. Ac primo quidem et sequenti die tolerabilis labor visus, nondum tam vastis nudisque solitudinibus aditis, jam tamen sterili et emoriente terra. Sed ut aperuere se campi alto obruti sabulo, haud secus quam profundum aequor ingressi, terram oculis requirebant. Nulla arbor, nullum culti soli occurrebat vestigium; aqua etiam defecerat quam utribus cameli vexerant, et in arido solo ac fervido sabulo nulla erat. Ad haec sol omnia incenderat, siccaque et adusta erat ora; quum repente, sive illud deorum munus, sive casus fuit, obductae coelo nubes condidere solem; ingens aestu fatigatis, etiamsi aqua deficeret, auxilium. Enimvero, ut largum quoque im-

brem excusserunt procellae, pro se quisque excipere eum, quidam ob sitim impotentes sui, ore quoque hianti captare coeperunt. Quatriduum per vastas solitudines absumptum est.

XXIX. Jamque haud procul oraculi sede aberant; quum complures corvi agmini occurrunt, modico volatu prima signa antecedentes; et modo humi residebant, quum lentius agmen incederet, modo se pennis levabant, antecedentium iterque monstrantium ritu. Tandem ad sedem consecratam deo ventum est. Incredibile dictu, inter vastas solitudines sita, undique ambientibus ramis, vix in densam umbram cadente sole, contecta est; multique fontes dulcibus aquis passim manantibus alunt sylvas. Coeli quoque mira temperies, verno tepori maxime similis, omnes anni partes pari salubritate percurrit. Accolae sedis sunt ab oriente proximi Aethiopum: in meridiem versus Arabes spectant, (*Troglodytis* cognomen est,) quorum regio usque ad Rubrum Mare excurrit: at, qua vergit ad occidentem, alii Aethiopes colunt quos *Scenitas* vocant: a septentrione Nasamones sunt, gens Syrtica navigiorum spoliis quaestuosa, quippe obsident litora, et aestu destituta navigia notis sibi vadis occupant. Incolae nemoris, quos *Hammonios* vocant, dispersis tuguriis habitant: medium nemus pro arce habent, triplici muro circumdatum.

XXX. Prima munitio tyrannorum veterum regiam clausit: in proxima conjuges eorum cum liberis et pellicibus habitant; hic quoque dei oraculum est: ultima munimenta satellitum armigerorumque sedes erant. Est etiam aliud Hammonis nemus: in medio habet fontem, *aquam solis* vocant: sub lucis ortum tepida manat; medio die, quum vehementissimus est calor, frigida eadem fluit; inclinato in vesperam, calescit: media nocte, fervida exaestuat; quoque propius nox vergit ad lucem, multum ex nocturno calore decrescit; donec sub ipsum diei ortum assueto tepore languescat. Id quod pro deo colitur, non eamdem effigiem habet, quam vulgo diis artifices accomodaverunt: umbilico maxime similis est habitus, smaragdo et gemmis coagmentatus. Hunc, quum responsum petitur, navigio aurato gestant sacerdotes, multis argenteis pateris ab utroque navigii latere

pendentibus; sequuntur matronae virginesque patrio more inconditum quoddam carmen canentes, quo propitiari Jovem credunt, ut certum edat oraculum.

XXXI. At tum quidem regem propius adeuntem maximus natu e sacerdotibus *filium* appellat; hoc nomen illi parentem Jovem reddere, affirmans. Ille, se vero, ait, et accipere et agnoscere, humanae sortis oblitus. Consuluit deinde, an totius orbis imperium fatis sibi destinaret pater. Vates, aeque in adulationem compositus, terrarum omnium rectorem fore ostendit. Post haec institit quaerere, an omnes parentis sui interfectores poenas dedissent. Sacerdos parentem ejus negat ullius scelere posse violari; Philippi autem omnes interfectores luisse supplicia. Adjecit, invictum fore, donec excederet ad deos. Sacrificio deinde facto, dona et sacerdotibus et deo data sunt, permissumque amicis, ut ipsi quoque consulerent Jovem. Nihil amplius quaesierunt, quam, an auctor esset sibi divinis honoribus colendi suum regem. Hoc quoque acceptum fore Jovi, vates respondit. Vere et salubriter aestimanti fidem oraculi vana profecto responsa videri potuissent; sed fortuna, quos uni sibi credere coegit, magna ex parte avidos gloriae magis quam capaces facit. Jovis igitur filium se non solum appellari passus est, sed etiam jussit; rerumque gestarum famam, dum augere vult, tali appellatione corrumpit. Et Macedones, assueti quidem regio imperio, sed majore libertatis umbra quam ceterae gentes, immortalitatem affectantem contumacius quam aut ipsis expediebat aut regi, aversati sunt. Sed haec suo quaeque tempori reserventur; nunc cetera exsequi pergam.

XXXII. 8. Alexander ab Hammone rediens, ut [a mari] ad Mareotim paludem, haud procul insula Pharo sitam, venit; contemplatus loci naturam, primum in ipsa insula statuerat urbem novam condere. Inde, ut apparuit magnae sedis insulam haud capacem, elegit urbi locum ubi nunc est Alexandria, appellationem trahens ex nomine auctoris. Complexus quidquid loci est inter paludem et mare, octoginta stadiorum muris ambitum destinat; et qui exaedificandae urbi praeessent relictis, Memphim petit. Cupido, haud injusta quidem, ceterum

intempestiva incesserat, non interiora modo Aegypti, sed etiam Aethiopiam invisere. Memnonis Tithonique celebrata regia cognoscendae vetustatis avidum trahebat paene extra terminos solis. Sed imminens bellum, cujus multo major supererat moles, otiosae peregrinationi tempora exemerat. Itaque Aegypto praefecit Aeschylum Rhodium, et Peuceston Macedonem, quatuor millibus militum in praesidium regionis ejus datis: claustra Nili fluminis Polemonem tueri jubet; triginta ad hoc triremes datae. Africae deinde, quae Aegypto juncta est, praepositus Apollonius: vectigalibus ejusdem [Africae] Aegyptique, Cleomenes. Ex finitimis urbibus commigrare Alexandriam jussis, novam urbem magna multitudine implevit. Fama est, quum rex urbis futurae muris polentam, ut Macedonum mos est, destinasset, avium greges advolasse, et polenta esse pastas; quumque id omen pro tristi a plerisque esset acceptum, respondisse vates, magnam illam urbem advenarum frequentiam culturam, multisque eam terris alimenta praebituram.

XXXIII. Regem, quum secundo amne deflueret, assequi cupiens Hector, Parmenionis filius, eximio aetatis flore, in paucis Alexandro carus, parvum navigium conscendit, pluribus quam capere posset impositis: itaque mersa navis omnes destituit. Hector diu flumini obluctatus, quum madens vestis et adstricti crepidis pedes natare prohiberent, in ripam tamen semianimis evasit; et ut primum fatigatus spiritum laxavit, quem metus et periculum intenderant, nullo adjuvante, (quippe in diversum evaserant alii,) exanimatus est. Rex amissi ejus desiderio vehementer afflictus est, repertumque corpus magnifico extulit funere. Oneravit hunc dolorem nuncius mortis Andromachi, quem praefecerat Syriae; vivum Samaritae cremaverant. Ad cujus interitum vindicandum, quanta maxima celeritate potuit, contendit, advenientique sunt traditi tanti sceleris auctores. Andromacho deinde Memnona substituit; affectis supplicio, qui praetorem interemerant. Tyrannos, inter eos Methymnaeorum Aristonicum et Chrysolaum, popularibus suis tradidit; quos illi ob injurias tortos necaverunt. Atheniensium deinde, Rhodiorum et Chiorum legatos audit. Athenienses victoriam gratulabantur, et ut

captivi Graecorum suis restituerentur orabant; Rhodii et Chii de praesidio querebantur; omnes aequa desiderare visi impetraverunt. Mitylenaeis quoque ob egregiam in partes suas fidem, et pecuniam, quam in bellum impenderant, [obsides] reddidit, et magnam regionem finibus eorum adjecit. Cypriorum quoque regibus, qui a Dario defecerant ad ipsum, et oppugnanti Tyrum miserant classem, pro merito honos habitus est. Amphoterus deinde, classis praefectus, ad liberandam Cretam missus (namque et Persarum et Spartanorum armis pleraque ejus insulae obsidebantur,) ante omnia mare a piraticis classibus vindicare jussus; quippe obnoxium praedonibus erat, in bellum utroque rege converso. His compositis, Herculi Tyrio ex auro crateram cum triginta pateris dicavit; imminensque Dario, iter ad Euphraten pronunciari jussit.

XXXIV. 9. At Darius, quum ab Aegypto divertisse in Africam hostem comperisset, dubitaverat, utrumne circa Mesopotamiam subsisteret, an interiora regni sui peteret: haud dubie potentior auctor praesens futurus ultimis gentibus impigre bellum capessendi, quas aegre per praefectos suos moliebatur. Sed ut idoneis auctoribus fama vulgavit, Alexandrum cum omnibus copiis, quamcumque ipse adiisset regionem, petiturum: haud ignarus quam cum strenuo res esset, omnia longinquarum gentium auxilia Babyloniam contrahi jussit. Bactriani Scythaeque et Indi convenerant: nam et ceterarum gentium copiae partibus simul adfuerunt. Ceterum quum dimidio ferme major esset exercitus quam in Cilicia fuerat, multis arma deerant, quae summa cura comparabantur. Equitibus equisque tegumenta erant ex ferreis laminis serie inter se connexis: queis antea praeter jacula nihil dederat, scuta gladiique adjiciebantur: equorumque domandi greges peditibus distributi sunt, ut major pristino esset equitatus: ingensque, ut crediderat, terror hostium, ducentae falcatae quadrigae, unicum illarum gentium auxilium, secutae sunt. Ex summo temone hastae praefixae ferro eminebant; utrimque a jugo ternos direxerant gladios: et inter radios rotarum plura spicula eminebant in adversum: aliae deinde falces summis rotarum orbibus haerebant; et

aliae in terram demissae, quidquid obvium concitatis equis fuisset, amputaturae.

XXXV. Hoc modo instructo exercitu ac perarmato, Babylone copias movit. A parte dextra erat Tigris, nobilis fluvius; laevam tegebat Euphrates: agmen Mesopotamiae campos impleverat. Tigri deinde superato, quum audisset, haud procul abesse hostem, Satropatem equitum praefectum cum mille delectis praemisit. Mazaeo praetori sex millia data, quibus hostem transitu amnis arceret: eidem mandatum, ut regionem, quam Alexander esset aditurus, popularetur atque ureret; quippe credebat inopia debellari posse nihil habentem, nisi quod rapiendo occupasset: ipsi autem commeatus alii terra, alii Tigri amne subvehebantur. Jam pervenerat ad Arbela vicum, nobilem sua clade facturus: hic commeatuum sarcinarumque majore parte deposita, Lycum amnem ponte junxit, et per dies quinque, sicut ante Euphraten, trajecit exercitum. Inde octoginta fere stadia progressus, ad alterum amnem, Bumado nomen est, castra posuit. Opportuna explicandis copiis regio erat, equitabilis et vasta planities: ne stirpes quidem et brevia virgulta operiunt solum: liberque prospectus oculorum et ad ea quae procul recessere permittitur: itaque si qua campi eminebant, jussit aequari, totumque fastigium extendi.

XXXVI. Alexandro, qui numerum copiarum ejus, quantum [procul] conjectari poterant, aestimabant, vix fecerunt fidem, tot millibus caesis, majores copias esse reparatas. Ceterum omnis periculi, et maxime multitudinis contemptor, undecimis castris pervenit ad Euphraten: quo pontibus juncto, equites primos ire, phalangem sequi jubet; Mazaeo, qui ad inhibendum transitum ejus, cum sex millibus equitum occurrerat, non auso periculum sui facere. Paucis deinde, non ad quietem, sed ad reparandos animos, diebus datis militi, strenue hostem insequi coepit; metuens ne interiora regni sui peteret, sequendusque esset per loca omni solitudine atque inopia vasta. Igitur quarto die praeter Arbela penetrat ad Tigrim. Tota regio ultra amnem recenti fumabat incendio: quippe Mazaeus, quaecumque adierat, haud secus quam hostis urebat. Ac primo,

caligine quam fumus effuderat obscurante lucem, insidiarum metu substitit; deinde, ut speculatores praemissi tuta omnia nunciaverunt, paucos equitum ad tentandum vadum fluminis praemisit, cujus altitudo primo summa equorum pectora, mox, ut in medium alveum ventum est, cervices quoque aequabat. Nec sane alius ad Orientis plagam tam violentus invehitur, multorum torrentium non aquas solum, sed etiam saxa secum trahens: itaque a celeritate qua defluit Tigri nomen est inditum, quia Persica lingua *Tigrim* sagittam appellant.

XXXVII. Igitur pedes, velut divisus in cornua, circumdato equitatu, levatis super capita armis, haud aegre ad ipsum alveum penetrat. Primus inter pedites rex egressus in ripam, vadum militibus manu, quando vox exaudiri non poterat, ostendit: sed gradum firmare vix poterant, quum modo saxa lubrica vestigium fallerent, modo rapidior unda subduceret. Praecipuus erat labor eorum qui humeris onera portabant: quippe quum semetipsos regere non possent, in rapidos gurgites incommodo onere auferebantur; et, dum sua quisque spolia consequi studet, major inter ipsos quam cum amne orta luctatio est; cumulique sarcinarum passim fluitantes plerosque perculerant. Rex monere, ut satis haberent arma retinere; cetera se redditurum. Sed neque consilium neque imperium accipi poterat: obstrepebat hinc metus, hinc invicem vocantium mutuus clamor. Tandem, qua leniore tractu amnis aperit vadum, emersere, nec quidquam praeter paucas sarcinas desideratum est.

XXXVIII. Deleri potuit exercitus, si quis ausus esset vincere: sed perpetua fortuna regis avertit inde hostem. Sic Granicum tot mililbus equitum peditumque in ulteriore stantibus ripa superavit: sic angustis in Ciliciae callibus tantam multitudinem hostium. Audaciae quoque, qua maxime viguit, ratio minui potest, quia nunquam in discrimen venit, an temere fecisset. Mazaeus, qui, si transeuntibus flumen supervenisset, haud dubie oppressurus fuit incompositos, in ripa demum, et jam perarmatos, adequitare coepit. Mille admodum equites praemiserat, quorum paucitate Alex-

ander explorata, deinde contempta, praefectum Paeonum equitum Aristona laxatis habenis invehi jussit. Insignis eo die pugna equitum, et praecipue Aristonis fuit: praefectum equitatus Persarum Satropatem, directa in gutture hasta, transfixit, fugientemque per medios hostes consequutus, ex equo praecipitavit, et obluctanti caput gladio dempsit: quod relatum magna cum laude ante regis pedes posuit.

XXXIX. 10. Biduo ibi rex stativa habuit, in proximum deinde iter pronunciari jussit. Sed prima fere vigilia luna deficiens, primum nitorem sideris sui condidit; deinde sanguinis colore suffuso lumen omne foedavit, solicitisque sub ipsum tanti discriminis casum ingens religio, et ex ea formido quaedam, incussa est. Diis invitis in ultimas terras trahi se querebantur: jam nec flumina posse adiri, nec sidera pristinum praestare fulgorem: vastas terras, deserta omnia occurrere: in unius hominis jactationem tot millium sanguinem impendi: fastidio esse patriam: abdicari Philippum patrem, coelum vanis cogitationibus peti. Jam pro seditione res erat, quum ad omnia interritus, duces principesque militum frequentes adesse praetorio, Aegyptiosque vates, quos coeli ac siderum peritissimos esse credebat, quid sentirent expromere jubet. At illi, qui satis scirent, temporum orbes implere destinatas vices, lunamque deficere, quum aut terram subiret, aut sole premeretur, rationem quidem ipsis perceptam non edocent vulgus, ceterum affirmant, solem Graecorum lunam esse Persarum: quoties illa deficiat, ruinam stragemque illis gentibus portendi: veteraque exempla percensent Persidis regum, quos adversis diis pugnasse lunae ostendisset defectio. Nulla res efficacius multitudinem regit, quam superstitio; alioquin impotens, saeva, mutabilis, ubi vana religione capta est, melius vatibus quam ducibus suis paret. Igitur edita in vulgus Aegyptiorum responsa rursus ad spem et fiduciam erexere torpentes.

XL. Rex impetu animorum utendum ratus, secunda vigilia castra movit: dextra Tigrim habebat, a laeva montes, quos Gordaeos vocant. Hoc ingresso iter speculatores, qui praemissi erant, sub lucis ortum, Darium adventare nunciaverunt. Instructo igitur milite, et

composito agmine, antecedebat. Sed Persarum exploratores erant mille ferme, qui speciem agminis magni fecerant: quippe ubi explorari vera non possunt, falsa per metum augurantur. His cognitis, rex cum paucis suorum assequutus agmen refugientium ad suos, alios cecidit, alios cepit: equitesque praemisit simul speculatum, simul ut ignem, quo Barbari cremaverant vicos, extinguerent: quippe fugientes raptim tectis acervisque frumenti injecerant flammas, quae quum in summo haesissent, ad inferiora nondum penetraverant. Extincto igitur igne, plurimum frumenti repertum est: copia aliarum quoque rerum abundare coeperunt. Ea res ipsa militi ad persequendum hostem animum incendit; quippe, urente et populante eo terram, festinandum erat, ne incendio cuncta praeriperet. In rationem ergo necessitas versa; quippe Mazaeus, qui antea per otium vicos incenderat, jam fugere contentus, pleraque inviolata hosti reliquit. Alexander haud longius centum quinquaginta stadiis Darium abesse compererat; itaque ad satietatem quoque copia commeatuum instructus, quatriduo in eodem loco substitit.

XLI. Interceptae deinde Darii literae sunt, quibus Graeci milites solicitabantur, ut regem aut interficerent, aut proderent: dubitavitque, an eas pro concione recitaret, satis confisus Graecorum quoque erga se benevolentiae ac fidei. Sed Parmenio deterruit; non esse talibus promissis imbuendas aures militum: patere vel unius insidiis regem: nihil nefas esse avaritiae. Sequutus consilii auctorem, castra movit. Iter facienti spado, unus ex captivis qui Darii uxorem comitabantur, deficere eam nunciat, et vix spiritum ducere. Itineris continui labore animique aegritudine fatigata, inter socrus et virginum filiarum manus collapsa erat, deinde et extincta: id ipsum nuncians alius supervenit. Et rex, haud secus quam si parentis suae mors nunciata esset, crebros edidit gemitus: lacrimisque obortis quales Darius profudisset, in tabernaculum, in quo mater erat Darii, defuncto assidens corpori, venit. Hic vero renovatus est moeror, ut prostratam humi vidit: recenti malo priorum quoque admonita, receperat in gremium adultas virgines, magna quidem mutui doloris solatia,

sed quibus ipsa deberet esse solatio. In conspectu erat nepos parvulus, ob id ipsum miserabilis, quod nondum sentiebat calamitatem, maxima ex parte ad ipsum redundantem. Crederes Alexandrum inter suas necessitudines flere, et solatia non adhibere, sed quaerere: cibo certe abstinuit, omnemque honorem funeri, patrio Persarum more, servavit: dignus, hercule, qui nunc quoque tantae mansuetudinis et continentiae ferat fructum. Semel omnino eam viderat, quo die capta est; nec ut ipsam, sed ut Darii matrem videret: eximiamque pulchritudinem formae ejus non libidinis habuerat incitamentum, sed gloriae.

XLII. E spadonibus, qui circa reginam erant, Tyriotes, inter trepidationem lugentium elapsus per eam portam, quae, quia ab hoste aversa erat, levius custodiebatur, ad Darii castra pervenit: exceptusque a vigilibus, in tabernaculum regis perducitur, gemens et veste lacerata. Quem ut conspexit Darius, multiplici expectatione commotus, et quid potissimum timeret, incertus, ‘Vultus tuus,’ inquit, ‘nescio quod ingens malum praefert: sed cave miseri hominis auribus parcas: didici enim esse infelix; et saepe calamitatis solatium est, nosse sortem suam. Num, quod maxime suspicor et loqui timeo, ludibria meorum nunciaturus es; mihi, et, ut credo, ipsis quoque, omni graviora supplicio?’ Ad haec Tyriotes, ‘Istud quidem procul abest,’ inquit; ‘quantuscumque enim reginis honor ab iis qui parent haberi potest, tuis a victore servatus est: sed uxor tua paulo ante excessit e vita.’ Tum vero non gemitus modo, sed etiam ejulatus, totis castris exaudiebantur: nec dubitavit Darius, quin interfecta esset, quia nequisset contumeliam pati; exclamatque amens dolore, ‘Quod ego tantum nefas commisi, Alexander? quem tuorum propinquorum necavi, ut hanc vicem saevitiae meae reddas? Odisti me, non quidem provocatus: sed finge, justum intulisse te bellum; cum feminis ergo agere debueras?’ Tyriotes affirmare per deos patrios, nihil in eam gravius esse consultum: ingemuisse etiam Alexandrum morti, et non parcius flevisse quam ipse lacrimaretur. Ob haec ipsa amantis animus in solicitudinem suspicionemque revolutus est, desiderium cap-

tivae profecto a consuetudine stupri ortum esse conjectans. Submotis igitur arbitris, uno duntaxat Tyriote retento, jam non flens, sed suspirans: 'Videsne in te, Tyriote, locum mendacio non esse? tormenta jam hic erunt: sed ne exspectaveris per deos, si quid tui tibi regis reverentiae est: num, quod et scire expeto, et quaerere pudet, ausus est et dominus et juvenis?' Ille quaestioni corpus offerre, deos testes invocare, caste sancteque habitam esse reginam. Tandem ut fides facta est vera esse quae affirmaret spado, capite velato, diu flevit; manantibusque adhuc lacrimis, veste ab ore rejecta, ad coelum manus tendens: 'Dii patrii,' inquit, 'primum mihi stabilite regnum; deinde, si de me jam transactum est, precor, ne quis Asiae rex sit, quam iste tam justus hostis, tam misericors victor.'

XLIII. 11. Itaque quamquam, pace frustra bis petita, omnia in bellum consilia converterat, victus tamen continentia hostis, ad novas pacis conditiones ferendas decem legatos cognatorum principes misit: quos Alexander, concilio advocato, introduci jussit. E quibus maximus natu, 'Darium,' inquit, 'ut pacem a te jam hoc tertio peteret, nulla vis subegit: sed justitia et continentia tua expressit. Matrem, conjugem, liberosque ejus, nisi quod sine illo sunt, captos esse non sensit: pudicitiae earum quae supersunt curam haud secus quam parens agens, reginas appellas: speciem pristinae fortunae retinere pateris. Vultum tuum video, qualis Darii fuit, quum dimitteremur ab eo; et ille tamen uxorem, tu hostem luges. Jam in acie stares, nisi cura te sepulturae ejus moraretur. Et quid mirum est, si tam ab amico animo pacem petit? quid opus est armis inter quos odia sublata sunt? Antea imperio tuo destinabat Halyn amnem, qui Lydiam terminat. Nunc, quidquid inter Hellespontum et Euphraten est, in dotem filiae offert, quam tibi tradit: Ochum filium, quem habes, pacis et fidei obsidem retine: matrem et duas virgines filias redde: pro tribus corporibus triginta millia talenta auri precatur accipias. Nisi moderationem animi tui notam haberem, non dicerem hoc esse tempus, quo pacem non dare solum, sed etiam occupare deberes. Respice, quantum post te reliqueris: intuere, quantum

petas! periculosum est praegrande imperium: difficile est continere, quod capere non possis. Videsne, ut navigia, quae modum excedunt, regi nequeant? Nescio, an Darius ideo tam multa amiserit, quia nimiae opes magnae jacturae locum faciunt. Facilius est quaedam vincere, quam tueri: quam hercule expeditius manus nostrae rapiunt, quam continent! Ipsa mors uxoris Darii te admonere potest, minus jam misericordiae tuae licere, quam licuit.'

XLIV. Alexander, legatis excedere tabernaculo jussis, quid placeret ad concilium refert. Diu nemo quid sentiret ausus est dicere, incerta regis voluntate; tandem Parmenio, ante suasisse, ait, ut captivos apud Damascum redimentibus redderet; ingentem pecuniam potuisse redigi ex iis, qui multi vincti virorum fortium occuparent manus: Et nunc magnopere censere, ut unam anum, et duas puellas, itinerum agminumque impedimenta, triginta millibus talentis auri permutet: Opimum regnum occupari posse conditione, non bello: nec quemquam alium inter Istrum et Euphraten possedisse terras ingenti spatio intervalloque discretas: Macedoniam quoque respiceret potius, quam Bactra et Indos intueretur. Ingrata oratio regi fuit. Itaque ut finem dicendi fecit: 'Et ego,' inquit, 'pecuniam quam gloriam mallem, si Parmenio essem. [Nunc Alexander de paupertate securus sum: et me non mercatorem memini esse, red regem.] Nihil quidem habeo venale: sed fortunam meam utique non vendo. Captivos si placet reddi, honestius dono dabimus, quam pretio remittemus.'

XLV. Introductis deinde legatis ad hunc modum respondit: Nunciate Dario, me, quae fecerim clementer et liberaliter, non amicitiae ejus tribuisse, sed naturae meae: Bellum cum captivis et feminis gerere non soleo: armatus sit oportet, quem oderim. Quod si saltem pacem bona fide peteret, deliberarem forsitan an darem: verum enimvero, quum modo milites meos literis ad proditionem, modo amicos ad perniciem meam pecunia solicitet, ad internecionem mihi persequendus est, non ut justus hostis, sed ut percussor et veneficus. Conditiones vero pacis, quas fertis,

si accepero, victorem eum faciunt. Quae post Euphraten sunt, liberaliter donat: ubi igitur me affamini? nempe ultra Euphraten sum. Summum ergo dotis quam promittit terminum castra mea transeunt. Hinc me depellite, ut sciam vestrum esse, quod ceditis. Eadem liberalitate dat mihi filiam suam; nempe quam scio alicui servorum suorum nupturam: multum vero mihi praestat, si me Mazaeo generum praeponit? Ite, nunciate regi vestro, et quae amisit, et quae adhuc habet, praemia esse belli: hoc regente utriusque terminos regni, id quemque habiturum quod proximae lucis assignatura fortuna est. [Et me in Asiam non venisse, ut ab aliis acciperem, sed ut aliis darem. Si secundus, si non par mihi vellet haberi, facerem forsitan quae petit, ceterum nec mundus duobus solibus potest regi, nec duo summa regna salvo statu terrarum potest habere. Proinde aut deditionem hodie, aut in crastinum bellum paret: nec aliam sibi, quam expertus est, polliceatur fortunam.'] Legati respondent; quum bellum in animo sit, facere eum simpliciter, quod spe pacis non frustraretur: ipsos petere, quamprimum dimittantur ad regem: eum quoque bellum parare debere. Dimissi nunciant adesse certamen.

XLVI. 12. Ille quidem confestim Mazaeum cum tribus millibus equitum ad itinera, quae hostis petiturus erat, occupanda praemisit. Alexander, corpori uxoris ejus justis persolutis, omnique graviore comitatu intra eadem munimenta cum modico praesidio relicto, ad hostem contendit. In duo cornua diviserat peditem, in utrumque latus equite circumdato: impedimenta sequebantur agmen. Praemissum deinde concitis equis Menidan jubet explorare, ubi Darius esset. At ille, quum Mazaeus haud procul consedisset, non ausus ultra procedere, nihil aliud quam fremitum hominum hinnitumque equorum exaudisse nunciat. Mazaeus quoque, conspectis procul exploratoribus, in castra se recipit, adventûs hostium nuncius. Igitur Darius, qui in patentibus campis decernere optabat, armari militem jubet, aciemque disponit. In laevo cornu Bactriani ibant equites, mille admodum; Dahae totidem: et Arachosii Susiique quatuor millia explebant. Hos

quinquaginta falcati currus sequebantur: proximus quadrigis erat Bessus, cum octo millibus equitum item Bactrianis. Massagetae duobus millibus agmen ejus claudebant. Pedites his plurium gentium non mixtas, sed suae quisque nationis junxerant copias. Persas deinde cum Mardis Sogdianisque Ariobarzanes et Orobates ducebant. Illi partibus copiarum, summae Orsines praeerat a septem Persis oriundus, ad Cyrum quoque nobilissimum regem originem sui referens. Hos aliae gentes, ne sociis quidem satis notae, sequebantur. Post quas quinquaginta quadrigas Phradates magno Caspianorum agmine antecedebat. Indi, ceterique rubri maris adcolae, nomina verius quam auxilia, post currus erant. Claudebatur hoc agmen aliis falcatis curribus quinquaginta: queis peregrinum militem adjunxerat. Hunc Armenii, quos minores vocant, Armenios Babylonii, utrosque Belitae, et qui montes Cossaeorum incolebant, sequebantur. Post hos ibant Gortuae, gentis quidem Euboicae, Medos quondam secuti; sed jam degeneres, et patrii moris ignari. Applicuerat his Phrygas et Cataonas. Parthorum deinde gens, incolentium terras quas nunc Parthi Scythia profecti tenent, claudebant agmen. Haec sinistri cornu acies fuit.

XLVII. Dextrum tenebat natio majoris Armeniae, Cadusiique, Cappadoces, et Syri, et Medi: his quoque falcati currus erant quinquaginta. Summa totius exercitus, equites quadraginta quinque millia: pedestris acies ducenta millia expleverat. Hoc modo instructi decem stadia procedunt: jussique subsistere, armati hostem expectabant. Alexandri exercitum pavor, cujus causa non suberat, invasit: quippe lymphati trepidare coeperunt, omnium pectora occulto metu percurrente. Coeli fulgor, tempore aestivo ardenti similis internitens, ignis praebuit speciem: flammasque ex Darii castris splendere, velut illati temere praesidiis, credebant. Quod si perculsis Mazaeus, qui praesidebat itineri, supervenisset, ingens clades accipi potuit: ille segnis in eo quem occupaverat tumulo sedet, contentus non lacessi. Alexander, cognito pavore exercitus, signum ut consisterent dari, ipsos arma deponere ac levare corpora, jubet: admonens, nullam subiti causam esse timoris;

hostem procul stare. Tandem compotes sui pariter arma et animos recepere; nec quidquam ex praesentibus tutius visum est, quam eodem loco castra munire.

XLVIII. Postero die Mazaeus, qui cum delectis equitum in edito colle, ex quo Macedonum prospiciebantur castra, consederat, sive metu, sive quia speculari modo jussus erat, ad Darium rediit. Macedones eum ipsum collem quem deseruerat occupaverunt: nam et tutior planitie erat, et inde acies hostium, quae in campo explicabatur, conspici poterat. Sed caligo, quam circa humidi effuderant montes, universam quidem rei faciem non abstulit, ceterum agminum discrimina atque ordinem prohibuit perspici. Multitudo inundaverat campos; fremitusque tot millium etiam procul stantium aures impleverat. Fluctuari animo rex, et modo suum, modo Parmenionis consilium sera aestimatione perpendere; quippe eo ventum erat, unde recipi exercitus, nisi victor, sine clade non posset. [Movebat etiam eum multitudo hostium, respectu paucitatis suae gentis: sed interdum reputabat, quantas res cum hac gente gessisset, quantosque populos fudisset. Itaque quum spes metum vinceret, periculosius bellum differre ratus, ne desperatio suis cresceret; dissimulato eo, mercenarium equitem ex Paeonia praecedere jubet. Ipse phalangem, sicut antea dictum est, in duo cornua extenderat: utrumque cornu equites tegebant. Jamque nitidior lux, discussa caligine, aciem hostium ostenderat: et Macedones, sive alacritate, sive taedio exspectationis, ingentem, pugnantium more, edidere clamorem. Redditus et a Persis nemora vallesque circumjectas terribili sono impleverat. Nec jam contineri Macedones poterant, quin cursu quoque ad hostem contenderent.] Melius adhuc ratus in eodem tumulo castra munire, vallum jaci jussit: strenueque opere perfecto, in tabernaculum, ex quo tota acies hostium conspiciebatur, secessit.

XLIX. 13. Tum vero universa futuri discriminis facies in oculis erat: armis insignibus equi virique splendebant: et omnia intentiore cura praeparari apud hostem, sollicitudo praetorum agmina sua interequitantium ostendebat. Ac pleraque inania, sicut fremitus hominum, equorum hinnitus, armorum internitentium

fulgor, sollicitam exspectatione mentem turbaverant. Igitur, sive dubius animi, sive ut suos experiretur, consilium adhibet; quid optimum factu esset, exquirens. Parmenio, peritissimus inter duces artium belli, furto non praelio opus esse censebat; intempesta nocte opprimi posse hostes: discordes moribus, linguis, ad haec somno et improviso periculo territos, quando in nocturna trepidatione coituros? At interdiu primum terribiles occursuras facies Scytharum Bactrianorumque: hirta illis ora, et intonsas comas esse; praeterea eximiam vastorum magnitudinem corporum; vanis et inanibus militem magis quam justis formidinis causis moveri: Deinde tantam multitudinem circumfundi paucioribus posse: non in Ciliciae angustiis, et inviis callibus, sed in aperta et lata planitie dimicandum fore. Omnes ferme Parmenioni assentiebant: Polypercon haud dubie in eo consilio positam victoriam arbitrabatur. Quem intuens rex (namque Parmenionem nuper acrius quam vellet increpitum, rursus castigare non sustinebat), 'Latrunculorum,' inquit, 'et furum ista solertia est, quam praecipitis mihi: quippe illorum votum unicum est fallere. Meae vero gloriae semper aut absentiam Darii, aut angustias locorum, aut furtum noctis obstare non patiar: palam luce aggredi certum est; malo me fortunae poeniteat quam victoriae pudeat. Ad haec illud quoque accedit; vigilias agere barbaros, et in armis stare, ut ne decipi quidem possint, compertum habeo. Itaque ad praelium vos parate.' Sic incitatos ad corpora curanda dimisit.

L. Darius illud, quod Parmenio suaserat, hostem facturum esse conjectans, fraenatos equos stare, magnamque exercitus partem in armis esse, ac vigilias intentiore cura servari jusserat. Ergo ignibus tota ejus castra fulgebant. Ipse cum ducibus propinquisque agmina in armis stantium circumibat; Solem Mithren, sacrumque et aeternum invocans ignem, ut illis dignam vetere gloria, majorumque monimentis fortitudinem inspirarent: Et profecto, si qua divinae opis auguria humana mente concipi possent, deos stare secum; illos nuper Macedonum animis subitam incussisse formidinem: adhuc lymphatos ferri agique, arma jacientes: expetere praesides

Persarum imperii deos debitas a vecordibus poenas: Nec ipsum ducem saniorem esse; quippe ritu ferarum praedam modo, quam expeteret, intuentem, in perniciem, quae ante praedam posita esset, incurrere. Similis apud Macedones quoque sollicitudo erat: noctemque, velut in eam certamine edicto, metu egerunt. Alexander non alias magis territus, ad vota et preces Aristandrum vocari jubet. Ille in candida veste, verbenas manu praeferens, capite velato praeibat preces regi, Jovem Minervam Victoriamque propitianti. Tunc quidem sacrificio rite perpetrato, reliquum noctis adquieturus in tabernaculum rediit. Sed nec somnum capere nec quietem pati poterat. Modo e jugo montis aciem in dextrum Persarum cornu demittere agitabat, modo recta fronte concurre hosti: interdum haesitare, an potius in laevum torqueret agmen. Tandem gravatum animi anxietate corpus altior somnus oppressit.

LI. Jamque luce orta duces ad accipienda imperia convenerant, insolito circa praetorium silentio attoniti. Quippe aliàs arcessere ipsos, et interdum morantes castigare assueverat: tunc ne ultimo quidem rerum discrimine excitatum esse mirabantur; et non somno quiescere, sed pavore marcere credebant. Non tamen quisquam e custodibus corporis intrare tabernaculum audebat: et jam tempus instabat; nec miles injussu ducis aut arma capere poterat, aut in ordines ire. Diu Parmenio cunctatus, cibum ut caperent, ipse pronunciat. Jamque exire necesse erat: tunc demum intrat tabernaculum; saepiusque nomine compellatum, quum voce non posset, tactu excitavit. 'Multa lux,' inquit, 'est; instructam aciem hostis admovit: tuus miles adhuc inermis exspectat imperium. Ubi est vigor ille animi tui? nempe excitare vigiles soles.' Ad haec Alexander; 'Credisne, me prius somnum capere potuisse, quam exonerarem animum sollicitudine, quae quietem morabatur?' signumque [pugnae] tuba dari jussit. Et quum in eadem admiratione Parmenio perseveraret [quod securus somnum cepisset;] 'Minime,' inquit, 'mirum est. Ego enim, quum Darius terras ureret, vicos excideret, alimenta corrumperet, potens mei non eram: nunc vero quid metuam, quum acie decernere paret? Hercule

votum meum implevit. Sed hujus quoque consilii ratio postea reddetur: vos ite ad copias, quibus quisque praeest. Ego jam adero, et quid fieri velim, exponam.' Raro admodum admonitu amicorum, quum metus discriminis aderat, uti solebat. Tunc quoque, munimento corporis sumpto, processit ad milites. Haud aliàs tam alacrem viderant regem: et, vultu ejus interrito, certam spem victoriae augurabantur. Atque ille proruto vallo exire copias jubet, aciemque disponit.

LII. In dextro cornu locati sunt equites, quos *agema* appellant: praeerat his Clitus, cui junxit Philotae turmas, ceterosque praefectos equitum lateri ejus applicuit. Ultima Meleagri ala stabat: quam phalanx sequebatur. Post phalangem Argyraspides erant: his Nicanor Parmenionis filius praeerat. In subsidiis cum manu sua Coenos: post eum Orestes Lyncestesque. Post illos Polypercon, dux peregrini militis. Hujus agminis Amyntas princeps erat. Philagus Balacros regebat, in societatem nuper ascitos. Haec dextri cornu facies erat. In laevo, Craterus Peloponnensium equites habebat Achaeorumque; et Locrensium et Malieon turmis sibi adjunctis. Hos Thessali equites claudebant, Philippo duce. Peditum acies equitatu tegebatur. Frons laevi cornu haec erat. Sed ne circumiri posset a multitudine, ultimum agmen valida manu cinxerat: cornua quoque subsidiis firmavit, non recta fronte, sed a latere positis; ut, si hostis circumvenire aciem tentasset, parata pugnae forent. Hic Agriani erant, quibus Attalus praeerat; adjunctis sagittariis Cretensibus. Ultimos ordines avertit a fronte, ut totam aciem orbe muniret. Illyrii hic erant, adjuncto milite mercede conducto. Thracas quoque simul objecerat leviter armatos: adeoque aciem versatilem posuit, ut qui ultimi stabant ne circumirentur, verti tamen et in frontem circumagi possent. Itaque non prima quam latera, non latera munitiora fuere quam terga.

LIII. His ita ordinatis, praecipit, ut, si falcatos currus cum fremitu barbari emitterent, ipsi laxatis ordinibus impetum incurrentium silentio exciperent: haud dubius sine noxa transcursuros, si nemo se opponeret. Sin autem sine fremitu immisissent, eos ipsi clamore

terrerent, pavidosque equos telis utrimque suffoderent. Qui cornibus praeerant, extendere ea jussi, ita ut nec circumvenirentur, si arctius starent ; nec tamen mediam aciem exinanirent. Impedimenta cum captivis, inter quos mater liberique Darii custodiebantur, haud procul acie in edito colle constituit ; modico praesidio relicto. Laevum cornu, sicut alias, Parmenioni tuendum datum. Ipse in dextro stabat. Nondum ad teli jactum pervenerant ; quum Bion quidam transfuga, quanto maximo cursu potuerat, ad regem pervenit nuncians, murices ferreos in terram defodisse Darium, qua hostem equites emissurum esse credebat : notatumque certo signo locum, ut fraus evitari a suis posset. Asservari transfuga jusso, duces convocat : expositoque quod nunciatum erat, monet, ut regionem monstratam declinent, equitemque periculum edoceant. Ceterum hoc tantus exercitus exaudire non poterat, usum aurium intercipiente fremitu duorum agminum ; sed in conspectu omnium duces et proximum quemque interequitans alloquebatur.

LIV. 14. Emensis tot terras in spem victoriae, de qua dimicandum foret, hoc unum superesse discrimen ; Granicum hic amnem, Ciliciaeque montes, et Syriam Aegyptumque praeeuntibus raptas, ingentia spei gloriaeque incitamenta, referebat : Reprehensos ex fuga Persas pugnaturos, quia fugere non possent : tertium diem jam metu exsangues, armis suis oneratos, in eodem vestigio haerere : Nullum desperationis illorum majus indicium esse, quam quod urbes, quod agros suos urerent ; quidquid non corrupissent, hostium esse confessi : Nomina modo vana gentium ignotarum ne extimescerent : neque enim ad belli discrimen pertinere, qui ab his Scythae, quive Cadusii appellentur : Ob id ipsum, quod ignoti essent, ignobiles esse : Nunquam ignorari viros fortes : at imbelles ex latebris suis erutos, nihil praeter nomina afferre : Macedones virtute assequutos, ne quis toto orbe locus esset, qui tales viros ignoraret : Intuerentur barbarorum inconditum agmen : alium nihil praeter jaculum habere ; alium funda saxa librare : paucis justa arma esse ; Itaque illinc plures stare : hinc plures dimicaturos : Nec postulare se, ut fortiter capesserent proelium, ni ipse ceteris fortitudinis fuisset exemplum ; se

ante prima signa dimicaturum: spondere pro se quot cicatrices, totidem corporis decora: scire ipsos, unum paene se praedae communis exsortem in illis colendis ornandisque usurpare victoriae praemia: Haec se fortibus viris dicere: Si qui dissimiles eorum essent, illa fuisse dicturum: pervenisse eo, unde fugere non possent. Tot terrarum spatia emensis, tot amnibus montibusque post tergum objectis, iter in patriam et penates manu esse faciendum. Sic duces, sic proximi militum instincti sunt.

LV. Darius in laevo cornu erat; magno suorum agmine, delectis equitum peditumque stipatus: contempseratque paucitatem hostis; vanam aciem esse, extentis cornibus, ratus. Ceterum, sicut curru eminebat, dextra laevaque ad circumstantium agmina oculos manusque circumferens: 'Terrarum,' inquit, 'quas Oceanus hinc alluit, illinc claudit Hellespontus, paulo ante domini, jam non de gloria, sed de salute, et, quod saluti praeponitis, de libertate pugnandum est. Hic dies imperium, quo nulla amplius vidit aetas, aut constituet, aut finiet. Apud Granicum minima virium parte cum hoste certavimus: in Cilicia victos Syria poterat excipere: magna munimenta regni Tigris atque Euphrates erant. Ventum est eo, unde pulsis ne fugae quidem locus est. Omnia tam diutino bello exhausta post tergum sunt; non incolas suos urbes; non cultores habent terrae. Conjuges quoque et liberi sequuntur hanc aciem, parata hostibus praeda, nisi pro carissimis pignoribus corpora opponimus. Quod mearum fuit partium, exercitum, quem paene immensa planities vix caperet, comparavi: equos, arma distribui: commeatus, ne tantae multitudini deessent, providi: locum, in quo acies explicari posset, elegi. Cetera in vestra potestate sunt: audete modo vincere, famamque, infirmissimum adversus fortes viros telum, contemnite. Temeritas est, quam adhuc pro virtute timuistis, quae ubi primum impetum effudit, velut quaedam animalia amisso aculeo, torpet. Hi vero campi deprehendere paucitatem, quam Ciliciae montes absconderant: videtis ordines raros, cornua extenta, mediam aciem vanam et exhaustam; nam ultimi, quos locavit aversos, terga jam praebent. Obteri mehercule equo-

rum ungulis possunt, etiamsi nil praeter falcatos currus emisero. Et bello vicerimus, si vincimus praelio; nam ne illis quidem ad fugam locus est: hinc Euphrates, illinc Tigris prohibet inclusos. Et quae antea pro illis erant, in contrarium versa sunt. Nostrum mobile et expeditum agmen est, illud praeda grave; implicatos ergo spoliis nostris trucidabimus; eademque res et causa victoriae erit et fructus. Quod si quem e vobis nomen gentis movet; cogitet, Macedonum illic arma esse, non corpora; multum enim sanguinis invicem hausimus, et semper gravior in paucitate jactura est. Nam Alexander, quantuscumque ignavis et timidis videri potest, unum animal est; et, si quid mihi creditis, temerarium et vecors, adhuc nostro pavore, quam sua virtute felicius. Nihil autem potest esse diuturnum, cui non subest ratio. Licet felicitas adspirare videatur, tamen ad ultimum temeritati non sufficit. Praeterea breves et mutabiles vices rerum sunt, et fortuna nunquam simpliciter indulget. Forsitan ita dii fata ordinaverunt, ut Persarum imperium, quod secundo cursu per ducentos triginta annos ad summum fastigium evexerant, magno motu concuterent magis, quam adfligerent; admonerentque nos fragilitatis humanae, cujus nimia in prosperis rebus oblivio est. Modo Graecis ultro bellum inferebamus: nunc in sedibus nostris propulsamus illatum: jactamur invicem varietate fortunae. Videlicet imperium, quod mutuo adfectamus, una gens non capit. Ceterum, etiamsi spes non subesset, necessitas tamen stimulare deberet: ad extrema perventum est; matrem meam, duas filias, Ochum in spem hujus imperii genitum principem, illam sobolem regiae stirpis, duces vestros regum instar, vinctos habet; nisi quod in vobis est, ipse ego majore parte mei captivus sum. Eripite viscera mea ex vinculis; restituite mihi pignora, pro quibus ipse mori non recuso, parentem, liberos; nam conjugem in illo carcere amisi. Credite, nunc omnes tendere ad vos manus, implorare patrios deos, opem vestram, misericordiam, fidem exposcere, ut servitute, ut compedibus, ut precario victu ipsos liberetis. An creditis, aequo animo iis servire, quorum reges esse fastidiunt? Video admoveri hostium aciem: sed quo propius discrimen

accedo, hoc minus iis, quae dixi, possum esse contentus. Per ego vos deos patrios, aeternumque ignem, qui praefertur altaribus, fulgoremque solis intra fines regni mei orientis, per aeternam memoriam Cyri, qui ademptum Medis Lydisque imperium primus in Persidem intulit, vindicate ab ultimo dedecore nomen gentemque Persarum. Ite alacres et spe pleni, ut, quam gloriam accepistis a majoribus vestris, posteris relinquatis. In dextris vestris jam libertatem, opem, spem futuri temporis geritis. Effugit mortem, quisquis contempserit; timidissimum quemque consequitur. Ipse non patrio more solum, sed etiam ut conspici possim, curru vehor: nec recuso, quo minus imitemini me, sive fortitudinis exemplum, sive ignaviae fuero.'

LVI. 15. Interim Alexander, ut et demonstratum a transfuga insidiarum locum circumiret, et Dario, qui laevum cornu tuebatur, occurreret, agmen obliquum incedere jubet. Darius quoque eodem suum obvertit; Besso admonito, ut Massagetas equites in laevum Alexandri cornu a latere invehi juberet. Ipse ante se falcatos currus habebat; quos signo dato universos in hostem effudit: ruebant laxatis habenis aurigae, quo plures nondum satis proviso impetu obtererent. Alios ergo hastae multum ultra temones eminentes, alios ab utroque latere dimissae falces laceravere: nec sensim Macedones cedebant, sed effusa fuga turbaverant ordines. Mazaeus quoque perculsis metum incussit, mille equitibus ad diripienda hostis impedimenta circumvehi jussis: ratus captivos quoque, qui simul adservabantur, rupturos vincula, quum suos adpropinquantes vidissent. Non fefellerat Parmenionem, qui in laevo cornu erat: propere igitur Polydamanta mittit ad regem, qui et periculum ostenderet, et, quid fieri juberet, consuleret. Ille audito Polydamante, 'Abi, nuncia,' inquit, 'Parmenioni, si acie vicerimus, non nostra solum nos recuperaturos, sed etiam, quae hostium sunt, occupaturos. Proinde non est quod quidquam virium subducat ex acie, sed, ut me, ut Philippo patre dignum est, contempto sarcinarum damno, fortiter dimicet.' Interim barbari impedimenta turbaverant: caesisque plerisque custodum, captivi, vinculis ruptis, quidquid obvium erat, quo armari pos-

sent, rapiunt; et adgregati suorum equitibus Macedonas, ancipiti circumventos malo, invadunt; laetique circa Sisygambim, vicisse Darium, ingenti caede prostratos hostes, ad ultimum etiam impedimentis exutos esse, nunciant; quippe eandem fortunam ubique esse credebant, et victores Persas ad praedam discurrisse. Sisygambis, hortantibus captivis ut animum a moerore adlevaret, in eodem, quo antea fuit, perseveravit: non vox ulla excidit ei; non oris color, vultusve mutatus est; sedit immobilis, (credo, praecoce gaudio verita fortunam irritare,) adeo ut, quid mallet, intuentibus fuerit incertum.

LVII. Inter haec Menidas, praefectus equitum Alexandri, cum paucis turmis opem impedimentis laturus advenerat; incertum suone consilio, an regis imperio. Sed non sustinuit Cadusiorum Scytharumque impetum: quippe vix tentato certamine refugit ad regem, amissorum impedimentorum testis magis, quam vindex. Jam consilium Alexandri dolor vicerat; et, ne cura recuperandi sua militem a praelio averteret, non immerito verebatur. Itaque Areten, ducem hastatorum (*sarissophoros* vocabant), adversus Scythas mittit. Inter haec currus, qui circa prima signa turbaverant aciem, in phalangem invecti erant. Macedones confirmatis animis in medium agmen accipiunt. Vallo similis acies erat: junxerant hastas; et ab utroque latere temere incurrentium ilia subfodiebant; circumire deinde currus, et propugnatores praecipitare coeperunt. Ingens ruina equorum aurigarumque aciem compleverat: hi territos regere non poterant: equi crebra jactatione cervicum non jugum modo excusserant, sed etiam currus everterant; vulnerati interfectos trahebant: nec consistere territi nec progredi debiles poterant. Paucae tamen evasere quadrigae in ultimam aciem, iis, quibus inciderunt, miserabili morte consumptis: quippe amputata virorum membra humi jacebant; et quia calidis adhuc vulneribus aberat dolor, trunci quoque et debiles arma non omittebant; donec, multo sanguine effuso, exanimati procumberent.

LVIII. Interim Aretes, Scytharum, qui impedimenta diripiebant, duce occiso, gravius territis instabat. Su-

pervenere deinde missi a Dario Bactriani, pugnaeque vertere fortunam. Multi ergo Macedonum primo impetu obtriti sunt : plures ad Alexandrum refugerunt. Tum Persae, clamore sublato, qualem victores solent edere, ferociter in hostem, quasi ubique profligatum, incurrunt. Alexander territos castigare, adhortari ; proelium, quod jam elanguerat, solus accendere ; confirmatisque tandem animis, ire in hostem jubet. Rarior acies erat in dextro cornu Persarum ; namque inde Bactriani decesserant ad opprimenda impedimenta ; itaque Alexander laxatos ordines invadit, et multa caede hostium invehitur. At qui in laevo cornu erant Persae, spe posse eum includi, agmen suum a tergo dimicantis opponunt ; ingensque periculum in medio haerens adisset, ni equites Agriani calcaribus subditis circumfusos regi barbaros adorti essent, aversosque caedendo in se obverti coëgissent. Turbata erat utraque acies. Alexander et a fronte et a tergo hostem habebat : qui averso ei instabant, ab Agrianis equitibus premebantur : Bactriani, impedimentis hostium direptis, reversi, ordines suos recuperare non poterant ; plura simul abrupta a ceteris agmina, ubicumque alium alii fors miscuerat, dimicabant. Duo reges junctis prope agminibus proelium accendebant ; plures Persae cadebant ; par ferme utrimque numerus vulnerabatur : curru Darius, Alexander equo vehebatur : utrumque delecti tuebantur,sui immemores ; quippe amisso rege nec volebant salvi esse nec poterant : ante oculos sui quisque regis mortem occumbere ducebant egregium. Maximum tamen periculum adibant, qui maxime tuebantur ; quippe sibi quisque caesi regis expetebat decus.

LIX. Ceterum, sive ludibrium oculorum, sive vera species fuit, qui circa Alexandrum erant, vidisse se crediderunt paululum super caput regis placide volantem aquilam, non sonitu armorum, non gemitu morientium territam : diuque circa equum Alexandri pendenti magis quam volanti similis, apparuit. Certe vates Aristander, alba veste indutus et dextra praeferens lauream, militibus in pugnam intentis avem monstravit, haud dubium victoriae auspicium. Ingens ergo alacritas ac fiducia paulo ante territos accendit ad pugnam ; utique post-

quam auriga Darii, qui ante ipsum sedens equos regebat, hasta transfixus est; nec aut Persae aut Macedones dubitavere, quin ipse rex esset occisus. Lugubri ergo ululatu et incondito clamore gemituque totam fere aciem adhuc aequo Marte pugnantium turbavere cognati Darii et armigeri; laevoque cornu in fugam effuso, destituerant currum; quem a dextra parte stipati in medium agmen receperunt. Dicitur acinace stricto Darius dubitasse, an fugae [illegible] honesta morte vitaret. Sed eminens curru nondum omnem suorum aciem praelio excedentem destituere erubescebat. Dum inter spem et desperationem haesitat, sensim Persae cedebant, et laxaverant ordines. Alexander mutato equo, quippe plures fatigaverat, resistentium adversa ora fodiebat, fugientium terga. Jamque non pugna, sed caedes erat; quum Darius quoque currum suum in fugam vertit. Haerebat in tergis fugientium victor: sed prospectum oculorum nubes pulveris, quae ad coelum ferebatur, abstulerat: ergo haud secus quam in tenebris errabant, ad sonitum notae vocis, ut signum, subinde coeuntes. Exaudiebantur tantum strepitus habenarum, quibus equi currum trahentes identidem verberabantur; haec sola fugientis vestigia excepta sunt.

LX. 16. At in laevo Macedonum cornu, quod Parmenio, sicut ante dictum est, tuebatur, longe alia fortuna utriusque partis res gerebatur. Mazaeus, cum omni suorum equitatu vehementer invectus, urgebat Macedonum alas: jamque abundans multitudine aciem circumvehi coeperat, quum Parmenio equites nunciare jubet Alexandro, in quo discrimine ipsi essent; nisi mature subveniretur, non posse sisti fugam. Jam multum viae praeceperat rex, imminens fugientium tergis, quum a Parmenione tristis nuncius venit; refrenare equos jussi, qui vehebantur, agmenque constitit; frendente Alexandro, eripi sibi victoriam e manibus, et Darium felicius fugere, quam se sequi. Interim ad Mazaeum superati regis fama pervenerat. Itaque, quamquam validior erat, fortuna tamen partium territus, perculsis languidius instabat. Parmenio ignorabat quidem causam sua sponte pugnae remissae; sed occasione vincendi strenue est usus. Thessalos equites ad se vocari jubet. 'Ecquid,'

inquit, 'videtis istos, qui ferociter modo instabant, pedem referre, subito pavore perterritos? Nimirum nobis quoque regis nostri fortuna vicit; omnia Persarum caede strata sunt. Quid cessatis? an ne fugientibus quidem pares estis?' Vera dicere videbatur, et spes languentes quoque erexerat: subditis calcaribus proruere in hostem; et illi jam non sensim, sed citato gradu recedebant; nec quidquam fugae, nisi quod terga nondum verterant, deerat. Parmenio tamen ignarus, quaenam in dextro cornu fortuna regis esset, repressit suos; Mazaeus, dato fugae spatio, non recto itinere, sed majore et ob id tutiore circumitu Tigrin superat, et Babylona cum reliquiis devicti exercitus intrat.

LXI. Darius paucis fugae comitibus ad Lycum amnem contenderat, quo trajecto, dubitavit an solveret pontem, quippe hostem jam adfore nunciabatur. Sed tot millia suorum, quae nondum ad amnem pervenerant, ponte reciso, praedam hostis fore videbat. Abeuntem, quum intactum sineret pontem, dixisse constat, Malle insequentibus iter dare, quam auferre fugientibus. Ipse ingens spatium fuga emensus, media fere nocte Arbela pervenit. Quis tot ludibria fortunae, ducum agminumque caedem multiplicem, devictorum fugam, clades nunc singulorum, nunc universorum, aut animo assequi queat, aut oratione complecti? Propemodum seculi res in unum illum diem fortuna cumulavit. Alii, qua brevissimum patebat iter, alii diversos saltus, et ignotos sequentibus calles petebant. Eques pedesque confusi sine duce, armatis inermes, integris debiles implicabantur. Deinde, misericordia in metum versa, qui sequi non poterant, inter mutuos gemitus deserebantur. Sitis praecipue fatigatos et saucios perurebat, passimque omnibus rivis prostraverant corpora, praeterfluentem aquam hianti ore captantes: quam quum avidi turbidam hausissent, tendebantur extemplo praecordia premente limo; resolutisque et torpentibus membris, quum supervenisset hostis, novis vulneribus excitabantur. Quidam, occupatis proximis rivis, diverterant longius, ut quidquid occulti humoris usquam manaret, exciperent: nec ulla adeo avia et sicca lacuna erat, quae vestigantium sitim falleret. E proximis vero itineri vicis senum ululatus feminarumque exaudiebantur, barbaro ritu Darium adhuc regem clamantium.

LXII. Alexander, ut supra dictum est, inhibito suorum cursu, ad Lycum amnem pervenerat; ubi ingens multitudo fugientium oneraverat pontem, et plerique, quum hostis urgeret, in flumen se praecipitaverant, gravesque armis, et proelio ac fuga defatigati, gurgitibus hauriebantur. Jamque non pons modo fugientes, sed ne amnis quidem capiebat, agmina sua improvide subinde cumulantes: quippe, ubi intravit animos pavor, id solum metuunt, quod primum formidare coeperunt. Alexander, instantibus suis, impune abeuntem hostem sequi permitteret, hebetia tela esse et manus fatigatas, tantoque cursu corpora exhausta, et praeceps in noctem diei tempus, causatus est. Re vera de laevo cornu, quod adhuc in acie stare credebat, sollicitus, reverti ad ferendam opem suis statuit. Jamque signa converterat, quum equites, a Parmenione missi, illius quoque partis victoriam nunciant. Sed nullum eo die majus periculum adiit, quam dum copias reducit in castra. Pauci eum et incompositi sequebantur ovantes victoria: quippe omnes hostes aut in fugam effusos, aut in acie credebant cecidisse; quum repente ex adverso apparuit agmen equitum, qui primo inhibuere cursum, deinde, Macedonum paucitate conspecta, turmas in obvios concitaverunt. Ante signa rex ibat dissimulato magis periculo, quam spreto; nec defuit ei perpetua in dubiis rebus felicitas. Namque praefectum equitatus avidum certaminis, et ob id ipsum incautius in se ruentem, hasta transfixit: quo ex equo lapso, proximum ac deinde plures eodem telo confodit. Invasere turbatos amici quoque; nec Persae inulti cadebant: quippe non universae acies, quam hae tumultuariae manus, vehementius iniere certamen. Tandem barbari, quum obscura luce fuga tutior videretur esse quam pugna, diversis agminibus abiere. Rex, extraordinario periculo defunctus, incolumes suos reduxit in castra.

LXIII. Cecidere Persarum, quorum numerum victores finire potuerunt, millia XL: Macedonum minus quam CCC desiderati sunt. Ceterum hanc victoriam rex majore ex parte virtuti quam fortunae suae debuit: animo, non ut antea loco, vicit. Nam et aciem peritissime instruxit; et promptissime ipse pugnavit; et magno consilio jacturam sarcinarum impedimentorumque contempsit, quum in ipsa acie summum rei videret esse discrimen; dubioque

adhuc pugnae eventu, pro victore se gessit; perculsos deinde hostes fudit: fugientes, quod in illo ardore animi vix credi potest, prudentius, quam avidius persequutus est. Nam si, parte exercitus adhuc in acie stante, instare cedentibus perseverasset, aut sua culpa victus esset, aut aliena virtute vicisset. Jam si multitudinem equitum occurrentium extimuisset, victori aut foede fugiendum, aut miserabiliter cadendum fuit. Ne duces quidem copiarum sua laude fraudandi sunt; quippe vulnera, quae quisque excepit, indicia virtutis sunt. Hephaestionis brachium hasta ictum est; Perdiccas ac Coenos et Menidas sagittis prope occisi. Et si vere aestimare Macedonas, qui tunc erant, volumus, fatebimur, et regem talibus ministris, et illos tanto rege fuisse dignissimos.

LATIN CLASSICS.

CHEAP COLONIAL EDITIONS

FOR

COLLEGES AND SCHOOLS.

Although the great improvements in the Printing Art have done so much to add to the appearance of Books, and also to diminish the cost, yet the price still forms rather a serious item in the expense of education. This is particularly the case in editions of the Greek and Latin Classics. There is no want of excellence in many of these, but they are generally either so comprehensive or so extended by annotations, that the price is an obstacle to those who, entertaining enlarged views of the advantages of education, have not means commensurate with their wishes. It is, therefore, the intention of the Subscribers, to publish neat and correct editions of such detached portions of the Classic authors as are usually read in Schools and Colleges. This plan has been tried in England, and has been attended with marked success.

To those who are obliged to study economy in education, these editions will be recommended by their cheapness, their accuracy, and their being limited in their extent to that which is absolutely necessary.

To those, who either possess, or can afford to possess more expensive editions, these little copies will be offered as a means of saving the others from that speedy injury or destruction which befals books in the daily transit between home and school. They will be more portable and convenient, more fair and scholar-like in the class-room—not open to the just and reasonable objection which Tutors make to editions so charged with notes, that they almost amount to a translation.

Some years ago, the Subscribers made the attempt to introduce a uniform series of Books into the Common Schools of Canada. Their design was heartily seconded by the Board of Education in Ireland, who promptly and with the utmost liberality placed the copyright of their valuable Text Books at their disposal. At a very considerable expence of labour and money, the Subscribers, in a shorter period than they anticipated, succeeded in introducing the Books into almost every section of the Province. Since then the indefatigable and intelligent Superintendent of Education in Canada West, who, at an early period, expressed to the Subscribers his favourable opinion of these Books, having himself obtained permission to reprint them, delegated the right to other Booksellers in Canada, by whom, and by the Subscribers under their original grant from the Irish Board, the Province is now abundantly supplied with these excellent Books.

LATIN CLASSICS.

The success which attended this experiment to improve and render uniform the Books used in the Common Schools of Canada, has emboldened the Subscribers to undertake the publication of the Classical series now announced for the use of Colleges, High Schools, District and Grammar Schools.

The first numbers of the series will consist of the following:—

- Excerpts from Cornelius Nepos.
- The First Four Books of Cæsar.
- The Georgics of Virgil.
- The Fasti of Ovid.
- The Third and Fourth Books of Quintus Curtius.
- Cicero de Amicitia.
- Cicero de Senectute.
- Taciti Agricola.
- Excerpts from Horace.

To be followed in rapid succession by Sallust's History of Cataline's Conspiracy, The Four First Books of Virgil's Æneid, and other Standard Text Books.

The price of each will vary from 9d. to 1s. 9d. currency, according to the quantity of printed matter in each.

Orders for copies will be executed by the Booksellers throughout Canada, or by the Publishers.

ARMOUR & RAMSAY.

C. JULII CÆSARIS

COMMENTARIORUM

DE BELLO GALLICO;

LIBRI IV.

FROM THE TEXT OF HERZOG,

CAREFULLY REVISED.

MONTREAL:

ARMOUR AND RAMSAY.

1849.

C. JULII CÆSARIS COMMENTARII

DE

BELLO GALLICO.

LIBER PRIMUS.

Galliæ descriptio c. 1. *Eam Helvetii invadere tentant: sed duobus prœliis a Cæsare profligantur, et reliquiæ in patriam, quam deseruerant, repelluntur c.* 2—29. *Galli apud Cœsarem de Ariovisto, Germanorum rege, Sequanorum agrum insidente, conqueruntur, ille componendæ rei legatos ad Ariovistum mittit, sed frustra* 30—36. *Copias adversus eum educit primum pavidas, post tamen hortatu suo confirmatas. Colloquuntur partium duces, sed nullo effectu. Proin armis res geritur; et clade accepta, e Gallia profugiunt Germani* 37—54.

Gallia est omnis divisa in partes tres, quarum unam incolunt Belgæ, aliam Aquitani, tertiam, qui ipsorum linguâ Celtæ, nostrâ Galli appellantur. Hi omnes linguâ, institutis, legibus inter se differunt. Gallos ab Aquitanis Garumna flumen, a Belgis Matrona et Sequana dividit. Horum omnium fortissimi sunt Belgæ, propterea quod a cultu atque humanitate Provinciæ longissime absunt, minimeque ad eos mercatores sæpe commeant, atque ea quæ ad effeminandos animos pertinent, important: proximique sunt Germanis, qui trans Rhenum incolunt, quibuscum continenter bellum gerunt: quâ de causâ Helvetii quoque reliquos Gallos virtute præcedunt, quod fere quotidianis prœliis cum Germanis contendunt, quum aut suis finibus eos prohibent

aut ipsi in eorum finibus bellum gerunt. Eorum una pars, quam Gallos obtinere dictum est, initium capit a flumine Rhodano; continetur Garumnâ flumine, Oceano, finibus Belgarum; attingit etiam ab Sequanis et Helvetiis flumen Rhenum; vergit ad septentriones. Belgæ ab extremis Galliæ finibus oriuntur, pertinent ad inferiorem partem fluminis Rheni, spectant in septentriones et orientem solem. Aquitania a Garumnâ flumine ad Pyrenæos montes et eam partem Oceani, quæ est ad Hispaniam, pertinet, spectat inter occasum solis et septentriones.

II. Apud Helvetios longe nobilissimus et ditissimus fuit Orgetorix. Is M. Messalâ et M. Pisone, Coss. regni cupiditate inductus conjurationem nobilitatis fecit, et civitati persuasit, ut de finibus suis cum omnibus copiis exirent: perfacile esse, quum virtute omnibus præstarent, totius Galliæ imperio potiri. Id hoc facilius eis persuasit, quod undique loci naturâ Helvetii continentur; unâ ex parte flumine Rheno, latissimo atque altissimo, qui agrum Helvetium a Germanis dividit; alterâ ex parte monte Jurâ altissimo, qui est inter Sequanos et Helvetios; tertiâ lacu Lemanno et flumine Rhodano, qui Provinciam nostram ab Helvetiis dividit. His rebus fiebat, ut et minus late vagarentur, et minus facile finitimis bellum inferre possent: quâ de causâ homines bellandi cupidi magno dolore afficiebantur. Pro multitudine autem hominum et pro gloriâ belli atque fortitudinis angustos se fines habere arbitrabantur, qui in longitudinem millia passuum CCXL, in latitudinem CLXXX patebant.

III. His rebus adducti, et auctoritate Orgetorigis permoti, constituerunt ea quæ ad proficiscendum pertinerent, comparare; jumentorum et carrorum quam maximum numerum coëmere; sementes quam maximas facere, ut in itinere copia frumenti suppeteret: cum proximis civitatibus pacem et amicitiam confirmare. Ad eas res conficiendas biennium sibi satis esse duxerunt, in tertium annum profectionem lege confirmant. Ad eas res conficiendas Orgetorix deligitur. Is ubi legationem ad civitates suscepit, in eo itinere persuadet Castico, Catamantaledis filio, Sequano, cujus pater reg-

num in Sequanis multos annos obtinuerat, et a S. P. Q. R. amicus appellatus erat, ut regnum in civitate suâ occuparet, quod pater ante habuerat: itemque Dumnorigi Æduo, fratri Divitiaci, qui eo tempore principatum in civitate obtinebat, ac maxime plebi acceptus erat, ut idem conaretur persuadet, eique filiam suam in matrimonium dat. Perfacile factu esse illis probat, conata perficere, propterea quod ipse suæ civitatis imperium obtenturus esset: non esse dubium, quin totius Galliæ plurimum Helvetii possent: se suis copiis suoque exercitu illis regna conciliaturum confirmat. Hâc oratione adducti inter se fidem et jusjurandum dant, et regno occupato, per tres potentissimos ac firmissimos populos totius Galliæ sese potiri posse sperant.

IV. Ea res ut est Helvetiis per indicium enunciata, moribus suis Orgetorigem ex vinculis causam dicere coëgerunt: damnatum pœnam sequi oportebat, ut igni cremaretur. Die constitutâ causæ dictionis, Orgetorix ad judicium omnem suam familiam, ad hominum millia decem, undique coëgit, et omnes clientes obæratosque suos, quorum magnum numerum habebat, eodem conduxit: per eos, ne causam diceret, se eripuit. Quum civitas, ob eam rem incitata, armis jus suum exsequi conaretur, multitudinemque hominum ex agris magistratus cogerent, Orgetorix mortuus est; neque abest suspicio, ut Helvetii arbitrantur, quin ipse sibi mortem consciverit.

V. Post ejus mortem nihilo minus Helvetii id quod constituerant facere conantur, ut e finibus suis exeant. Ubi jam se ad eam rem paratos esse arbitrati sunt, oppida sua omnia, numero ad duodecim, vicos ad quadringentos, reliqua privata ædificia incendunt, frumentum omne præter quod secum portaturi erant, comburunt, ut domum reditionis spe sublatâ paratiores ad omnia pericula subeunda essent: trium mensium molita cibaria sibi quemque domo efferre jubent. Persuadent Rauracis et Tulingis et Latobrigis finitimis, uti eodem usi consilio oppidis suis vicisque exustis, una cum iis proficiscantur: Boiosque, qui trans Rhenum incoluerant, et in agrum Noricum transierant Noreiamque oppugnarant, receptos ad se socios sibi assciscunt.

VI. Erant omnino itinera duo, quibus itineribus domo exire possent: unum per Sequanos, angustum et difficile, inter montem Juram et flumen Rhodanum, vix qua singuli carri ducerentur; mons autem altissimus impendebat, ut facile perpauci prohibere possent: alterum per Provinciam nostram, multo facilius atque expeditius, propterea quod Helvetiorum inter fines et Allobrogum, qui nuper pacati erant, Rhodanus fluit, isque nonnullis locis vado transitur. Extremum oppidum Allobrogum est proximumque Helvetiorum finibus, Geneva. Ex eo oppido pons ad Helvetios pertinet. Allobrogibus sese vel persuasuros, quod nondum bono animo in populum Romanum viderentur, existimabant; vel vi coacturos, ut per suos fines eos ire paterentur. Omnibus rebus ad profectionem comparatis, diem dicunt quâ die ad ripam Rhodani omnes conveniant: is dies erat a. d. V. Kal. Apr. L. Pisone et A. Gabinio Coss.

VII. Cæsari quum id nunciatum esset, eos per Provinciam nostram iter facere conari, maturat ab urbe proficisci, et quam maximis itineribus potest, in Galliam ulteriorem contendit et ad Genevam pervenit: Provinciæ toti quam maximum potest militum numerum imperat (erat omnino in Gallia ulteriore legio una); pontem, qui erat ad Genevam, jubet rescindi. Ubi de ejus adventu Helvetii certiores facti sunt, legatos ad eum mittunt, nobilissimos civitatis, cujus legationis Nameius et Verudoctius principem locum obtinebant, qui dicerent sibi esse in animo, sine ullo maleficio iter per Provinciam facere, propterea quod aliud iter haberent nullum: rogare, ut ejus voluntate id sibi facere liceat. Cæsar, quod memoriâ tenebat L. Cassium consulem occisum exercitumque ejus ab Helvetiis pulsum et sub jugum missum, concedendum non putabat: neque homines inimico animo, datâ facultate per Provinciam itineris faciundi, temperaturos ab injuriâ et maleficio existimabat: tamen, ut spatium intercedere posset, dum milites quos imperaverat convenirent, legatis respondit, diem se ad deliberandum sumturum; si quid vellent, a. d. Idus Apr. reverterentur.

VIII. Interea eâ legione, quam secum habebat, militibusque qui ex Provinciâ convenerant, a lacu Lemanno, qui in flumen Rhodanum influit, ad montem Juram, qui fines Sequanorum ab Helvetiis dividit, millia passuum decem novem murum, in altitudinem pedum sedecim fossamque perducit. Eo opere perfecto, præsidia disponit, castella communit, quo facilius, si se invito transire conarentur, prohibere possit. Ubi ea dies, quam constituerat cum legatis, venit, et legati ad eum reverterunt, negat se more et exemplo populi Romani posse iter ulli per Provinciam dare; et si vim facere conentur, prohibiturum ostendit. Helvetii, eâ spe dejecti, navibus junctis ratibusque compluribus factis, alii vadis Rhodani, qua minima altitudo fluminis erat, nonnunquam interdiu, sæpius noctu, si perrumpere possent conati, operis munitione et militum concursu et telis repulsi, hoc conatu destiterunt.

IX. Relinquebatur una per Sequanos via, qua, Sequanis invitis, propter angustias ire non poterant. His quum suâ sponte persuadere non possent, legatos ad Dumnorigem Æduum mittunt, ut eo deprecatore a Sequanis impetrarent. Dumnorix gratiâ et largitione apud Sequanos plurimum poterat, et Helvetiis erat amicus, quod ex eâ civitate Orgetorigis filiam in matrimonium duxerat, et cupiditate regni adductus novis rebus studebat, et quam plurimas civitates suo beneficio habere obstrictas volebat. Itaque rem suscipit, et a Sequanis impetrat ut per fines suos Helvetios ire patiantur, obsidesque uti inter sese dent, perficit: Sequani, ne itinere Helvetios prohibeant; Helvetii, ut sine maleficio et injuriâ transeant.

X. Cæsari renunciatur Helvetiis esse in animo, per agrum Sequanorum et Æduorum iter in Santonum fines facere, qui non longe a Tolosatium finibus absunt, quæ civitas est in Provinciâ. Id si fieret, intelligebat magno cum Provinciæ periculo futurum, ut homines bellicosos, populi Romani inimicos, locis patentibus maximeque frumentariis finitimos haberet. Ob eas causas ei munitioni, quam fecerat, T. Labienum legatum præfecit: ipse in Italiam magnis itineribus contendit, duasque ibi legiones conscribit, et tres, quæ circum

Aquileiam hiemabant, ex hibernis educit, et qua proximum iter in ulteriorem Galliam per Alpes erat, cum his quinque legionibus ire contendit. Ibi Centrones et Graioceli et Caturiges, locis superioribus occupatis, itinere exercitum prohibere conantur. Compluribus his prœliis pulsis, ab Ocelo, quod est citerioris Provinciæ extremum, in fines Vocontiorum ulterioris Provinciæ die septimo pervenit: inde in Allobrogum fines, ab Allobrogibus in Segusianos exercitum ducit. Hi sunt extra Provinciam trans Rhodanum primi.

XI. Helvetii jam per angustias et fines Sequanorum suas copias transduxerant, et in Æduorum fines pervenerant eorumque agros populabantur. Ædui, quum se suaque ab iis defendere non possent, legatos ad Cæsarem mittunt rogatum auxilium : ita se omni tempore de populo Romano meritos esse, ut pæne in conspectu exercitûs nostri agri vastari, liberi eorum in servitutem abduci, oppida expugnari non debuerint. Eodem tempore Ædui Ambarri, necessarii et consanguinei Æduorum, Cæsarem certiorem faciunt sese, depopulatis agris, non facile ab oppidis vim hostium prohibere: item Allobroges, qui trans Rhodanum vicos possessionesque habebant, fugâ se ad Cæsarem recipiunt, et demonstrant sibi præter agri solum nihil esse reliqui. Quibus rebus adductus Cæsar non expectandum sibi statuit, dum omnibus fortunis sociorum consumtis in Santones Helvetii pervenirent.

XII. Flumen est Arar, quod per fines Æduorum et Sequanorum in Rhodanum influit incredibili lenitate, ita ut oculis in utram partem fluat judicari non possit. Id Helvetii ratibus ac lintribus junctis transibant. Ubi per exploratores Cæsar certior factus est tres jam copiarum partes Helvetios id flumen transduxisse, quartam vero partem citra flumen Ararim reliquam esse: de tertiâ vigiliâ cum legionibus tribus e castris profectus, ad eam partem pervenit, quæ nondum flumen transierat. Eos impeditos et inopinantes aggressus, magnam eorum partem concidit: reliqui fugæ sese mandarunt atqe in proximas silvas abdiderunt. Is pagus appellabatur Tigurinus: nam omnis civitas Helvetia in quatuor pagos divisa est. Hic pagus unus,

quum domo exisset, patrum nostrorum memoriâ, L. Cassium consulem interfecerat, et ejus exercitum sub jugum miserat. Ita, sive casu, sive consilio Deorum immortalium, quæ pars civitatis Helvetiæ insignem calamitatem populo Romano intulerat, ea princeps pœnas persolvit. Quâ in re Cæsar non solum publicas, sed etiam privatas injurias ultus est, quod ejus soceri L. Pisonis avum, L. Pisonem legatum, Tigurini eodem prœlio quo Cassium interfecerant.

XIII. Hoc prœlio facto, reliquas copias Helvetiorum ut consequi posset, pontem in Arari faciendum curat, atque ita exercitum transducit. Helvetii, repentino ejus adventu commoti, quum id quod ipsi diebus viginti ægerrime confecerant, ut flumen transirent, uno illum die fecisse intelligerent, legatos ad eum mittunt: cujus legationis Divico princeps fuit, qui bello Cassiano dux Helvetiorum fuerat. Is ita cum Cæsare agit: Si pacem populus Romanus cum Helvetiis faceret, in eam partem ituros atque ibi futuros Helvetios, ubi eos Cæsar constituisset atque esse voluisset: sin bello persequi perseveraret, reminisceretur et veteris incommodi populi Romani, et pristinæ virtutis Helvetiorum. Quod improviso unum pagum adortus esset, quum ii qui flumen transissent, suis auxilium ferre non possent, ne ob eam rem aut suæ magno opere virtuti tribueret, aut ipsos despiceret: se ita a patribus majoribusque suis didicisse, ut magis virtute quam dolo contendérent, aut insidiis niterentur. Quare ne committeret, ut is locus, ubi constitissent, ex calamitate populi Romani et internecione exercitûs nomen caperet, aut memoriam proderet.

XIV. His Cæsar ita respondit: Eo sibi minus dubitationis dari, quod eas res quas legati Helvetii commemorassent, memoriâ teneret: atque eo gravius ferre, quo minus merito populi Romani accidissent: qui si alicujus injuriæ sibi conscius fuisset, non fuisse difficile cavere; sed eo deceptum, quod neque commissum a se intelligeret, quare timeret: neque sine causâ timendum putaret. Quod si veteris contumeliæ oblivisci vellet; num etiam recentium injuriarum, quod eo invito iter per Provinciam per vim tentassent, quod Æduos, quod Ambarros, quod Allobrogas vexassent, memoriam de-

ponere posse? Quod suâ victoriâ tam insolenter gloriarentur, quodque tam diu se impune injurias tulisse admirarentur, eodem pertinere: consuesse enim Deos immortales, quo gravius homines ex commutatione rerum doleant, quos pro scelere eorum ulcisci velint, his secundiores interdum res et diuturniorem impunitatem concedere. Quum ea ita sint, tamen, si obsides ab iis sibi dentur, uti ea, quæ polliceantur, facturos intelligat ; et si Æduis de injuriis, quas ipsis sociisque eorum intulerint, item si Allobrogibus satisfaciant, sese cum ipsis pacem esse facturum. Divico respondit: Ita Helvetios a majoribus suis institutos esse, uti obsides accipere, non dare consuerint: ejus rei populum Romanum testem esse.

XV. Hoc responso dato, discessit. Postero die castra ex eo loco movent: idem Cæsar facit, equitatumque omnem, ad numerum quatuor millium, quem ex omni Provinciâ et Æduis atque eorum sociis coactum habebat, præmittit, qui videant, quas in partes hostes iter faciant. Qui cupidius novissimum agmen insecuti, alieno loco cum equitatu Helvetiorum prœlium committunt: et pauci de nostris cadunt. Quo prœlio sublati Helvetii, quod quingentis equitibus tantam multitudinem equitum propulerant, audacius subsistere, nonnunquam et novissimo agmine prœlio nostros lacessere cœperunt. Cæsar suos a prœlio continebat, ac satis habebat in præsentia hostem rapinis (pabulationibus) populationibusque prohibere. Ita dies circiter quindecim iter fecerunt, uti inter novissimum hostium agmen et nostrum primum non amplius quinis aut senis millibus passuum interesset.

XVI. Interim quotidie Cæsar Æduos frumentum, quod essent publice polliciti, flagitare: nam propter frigora, quod Gallia sub septentrionibus, ut ante dictum est, posita est, non modo frumenta in agris matura non erant, sed ne pabuli quidem satis magna copia suppetebat: eo autem frumento, quod flumine Arari navibus subvexerat, propterea uti minus poterat, quod iter ab Arari Helvetii averterant, a quibus discedere nolebat. Diem ex die ducere Ædui; conferri, comportari, adesse dicere. Ubi se diutius duci intellexit, et diem instare,

quo die frumentum militibus metiri oporteret: convocatis eorum principibus, quorum magnam copiam in castris habebat, in his Divitiaco et Lisco, qui summo magistratu præerat (quem Vergobretum appellant Ædui, qui creatur annuus, et vitæ necisque in suos habet potestatem), graviter eos accusat, quod, quum neque emi, neque ex agris sumi posset, tam necessario tempore, tam propinquis hostibus, ab iis non sublevetur: præsertim quum magnâ ex parte eorum precibus adductus bellum susceperit, multo etiam gravius quod sit destitutus queritur.

XVII. Tum demum Liscus, oratione Cæsaris adductus, quod antea tacuerat proponit: Esse nonnullos, quorum auctoritas apud plebem plurimum valeat; qui privatim plus possint quam ipsi magistratus. Hos seditiosâ atque improbâ oratione multitudinem deterrere, ne frumentum conferant, quod præstare debeant. Si jam principatum Galliæ obtinere non possint, Gallorum quam Romanorum imperia perferre: neque dubitare debeant quin, si Helvetios superaverint Romani, una cum reliquâ Galliâ Æduis libertatem sint erepturi. Ab iisdem nostra consilia, quæque in castris gerantur, hostibus enunciari: hos a se coerceri non posse: quin etiam, quod necessario rem coactus Cæsari enunciarit, intelligere sese quanto id cum periculo fecerit; et ob eam causam quam diu potuerit tacuisse.

XVIII. Cæsar hâc oratione Lisci Dumnorigem, Divitiaci fratrem, designari sentiebat: sed, quod pluribus præsentibus eas res jactari nolebat, celeriter concilium dimittit, Liscum retinet: quærit ex solo ea, quæ in conventu dixerat. Dicit liberius atque audacius. Eadem secreto ab aliis quærit; reperit esse vera: ipsum esse Dumnorigem, summâ audaciâ, magnâ apud plebem propter liberalitatem gratiâ, cupidum rerum novarum: complures annos portoria reliquaque omnia Æduorum vectigalia parvo pretio redemta habere, propterea quod illo licente contra liceri audeat nemo. His rebus et suam rem familiarem auxisse, et facultates ad largiendum magnas comparasse: magnum numerum equitatûs suo sumtu semper alere et circum se habere: neque solum domi, sed etiam apud finitimas civitates largiter

posse: atque hujus potentiæ causâ matrem in Biturigibus homini illic nobilissimo ac potentissimo collocasse: ipsum ex Helvetiis uxorem habere: sororem ex matre et propinquas suas nuptum in alias civitates collocasse: favere et cupere Helvetiis propter eam affinitatem: odisse etiam suo nomine Cæsarem et Romanos, quod eorum adventu potentia ejus diminuta et Divitiacus frater in antiquum locum gratiæ atque honoris sit restitutus. Si quid accidat Romanis, summam in spem regni obtinendi per Helvetios venire; imperio populi Romani non modo de regno, sed etiam de eâ quam habeat gratiâ desperare. Reperiebat etiam inquirendo Cæsar, quod prælium equestre adversum paucis ante diebus esset factum, initium ejus fugæ factum a Dumnorige atque ejus equitibus (nam equitatui, quem auxilio Cæsari Ædui miserant, Dumnorix præerat); eorum fugâ reliquum esse equitatum perterritum.

XIX. Quibus rebus cognitis, quum ad has suspiciones certissimæ res accederent, quod per fines Sequanorum Helvetios traduxisset, quod obsides inter eos dandos curasset, quod ea omnia non modo injussu suo et civitatis, sed etiam inscientibus ipsis fecisset, quod a magistratu Æduorum accusaretur: satis esse causæ arbitrabatur, quare in eum aut ipse animadverteret, aut civitatem animadvertere juberet. His omnibus rebus unum repugnabat, quod Divitiaci fratris summum in populum Romanum studium, summam in se voluntatem, egregiam fidem, justitiam, temperantiam cognoverat: nam ne ejus supplicio Divitiaci animum offenderet, verebatur. Itaque priusquam quidquam conaretur, Divitiacum ad se vocari jubet: et quotidianis interpretibus remotis, per C. Valerium Procillum, principem Galliæ provinciæ, familiarem suum, cui summam rerum omnium fidem habebat, cum eo colloquitur: simul commonefacit, quæ ipso præsente in concilio Gallorum de Dumnorige sint dicta, et ostendit, quæ separatim quisque de eo apud se dixerit: petit atque hortatur, ut sine ejus offensione animi vel ipse de eo, causâ cognitâ, statuat, vel civitatem statuere jubeat.

XX. Divitiacus multis cum lacrimis, Cæsarem complexus, obsecrare cœpit, ne quid gravius in fratrem

statueret; scire se illa esse vera, nec quemquam ex eo plus quam se doloris capere, propterea quod, quum ipse gratiâ plurimum domi atque in reliquâ Galliâ, ille minimum propter adolescentiam posset, per se crevisset: quibus opibus ac nervis non solum ad minuendam gratiam, sed pæne ad perniciem suam uteretur: sese tamen et amore fraterno et existimatione vulgi commoveri. Quod si quid ei a Cæsare gravius accidisset, quum ipse eum locum amicitiæ apud eum teneret, neminem existimaturum, non suâ voluntate factum: quâ ex re futurum, uti totius Galliæ animi a se averterentur. Hæc quum pluribus verbis flens a Cæsare peteret, Cæsar ejus dextram prendit: consolatus rogat, finem orandi faciat: tanti ejus apud se gratiam esse ostendit, uti et reipublicæ injuriam et suum dolorem ejus voluntati ac precibus condonet. Dumnorigem ad se vocat; fratrem adhibet; quæ in eo reprehendat, ostendit; quæ ipse intelligat, quæ civitas queratur, proponit; monet, ut in reliquum tempus omnes suspiciones vitet; præterita se Divitiaco fratri condonare dicit. Dumnorigi custodes ponit, ut quæ agat, quibuscum loquatur, scire possit.

XXI. Eodem die ab exploratoribus certior factus, hostes sub monte consedisse millia passuum ab ipsius castris octo: qualis esset natura montis et qualis in circuitu adscensus, qui cognoscerent misit. Renunciatum est, facilem esse. De tertiâ vigiliâ T. Labienum, legatum pro prætore, cum duabus legionibus et iis ducibus, qui iter cognoverant, summum jugum montis adscendere jubet; quid sui consilii sit, ostendit. Ipse de quartâ vigiliâ eodem itinere, quo hostes ierant, ad eos contendit equitatumque omnem ante se mittit. P. Considius, qui rei militaris peritissimus habebatur, et in exercitu L. Sullæ et postea in M. Crassi fuerat, cum exploratoribus præmittitur.

XXII. Primâ luce, quum summus mons a T. Labieno teneretur, ipse ab hostium castris non longius mille et quingentis passibus abesset, neque ut postea ex captivis comperit, aut ipsius adventus, aut Labieni cognitus esset: Considius equo admisso ad eum accurrit; dicit montem, quem a Labieno occupari voluerit, ab hostibus teneri; id se a Gallicis armis atque insignibus cogno-

visse. Cæsar suas copias in proximum collem subducit, aciem instruit. Labienus, ut erat ei præceptum a Cæsare, ne prœlium committeret, nisi ipsius copiæ prope hostium castra visæ essent, ut undique uno tempore in hostes impetus fieret, monte occupato nostros exspectabat prœlioque abstinebat. Multo denique die per exploratores Cæsar cognovit, et montem a suis teneri, et Helvetios castra movisse, et Considium, timore perterritum, quod non vidisset pro viso sibi renunciasse. Eo die, quo consuerat intervallo hostes sequitur, et millia passuum tria ab eorum castris castra ponit.

XXIII. Postridie ejus diei, quod omnino biduum supererat, quum exercitui frumentum metiri oporteret et quod a Bibracte, oppido Æduorum longe maximo ac copiosissimo, non amplius millibus passum XVIII aberat, rei frumentariæ prospiciendum existimavit, iter ab Helvetiis avertit ac Bibracte ire contendit. Ea res per fugitivos L. Æmilii, decurionis equitum Gallorum, hostibus nunciatur. Helvetii, seu quod timore perterritos Romanos discedere a se existimarent, eo magis, quod pridie, superioribus locis occupatis, prœlium non commisissent; sive eo, quod re frumentariâ intercludi posse confiderent: commutato consilio atque itinere converso, nostros a novissimo agmine insequi ac lacessere cœperunt.

XXIV. Postquam id animum advertit, copias suas Cæsar in proximum collem subducit, equitatumque, qui sustineret hostium impetum, misit. Ipse interim in colle medio triplicem aciem instruxit legionum quatuor veteranarum, ita, uti supra se in summo jugo duas legiones, quas in Galliâ citeriore proximè conscripserat, et omnia auxilia collocaret: ac totum montem hominibus compleri, et interea sarcinas in unum locum conferri, et eum ab his, qui in superiore acie constiterant, muniri jussit. Helvetii, cum omnibus suis carris secuti, impedimenta in unum locum contulerunt: ipsi, confertissimâ acie rejecto nostro equitatu, phalange factâ sub primam nostram aciem successerunt.

XXV. Cæsar, primum suo, deinde omnium ex conspectu remotis equis, ut æquato omnium periculo spem fugæ tolleret, cohortatus suos, prœlium commisit.

Milites, e loco superiore pilis missis, facile hostium phalangem perfregerunt. Eâ disjectâ, gladiis destrictis in eos impetum fecerunt. Gallis magno ad pugnam erat impedimento, quod pluribus eorum scutis uno ictu pilorum transfixis et colligatis, quum ferrum se inflexisset, neque evellere, neque sinistrâ impeditâ satis commode pugnare poterant; multi ut diu jactato brachio præoptarent scutum manu emittere, et nudo corpore pugnare. Tandem vulneribus defessi, et pedem referre et, quod mons suberat circiter mille passuum, eò se recipere cœperunt. Capto monte et succedentibus nostris, Boii et Tulingi, qui hominum milibus circiter XV agmen hostium claudebant et novissimis præsidio erant, ex itinere nostros latere aperto aggressi circumvenere: et id conspicati Helvetii, qui in montem sese receperant, rursus instare et prœlium redintegrare cœperunt. Romani conversa signa bipartito intulerunt: prima ac secunda acies, ut victis ac submotis resisteret; tertia, ut venientes exciperet.

XXVI. Ita ancipiti prœlio diu atque acriter pugnatum est. Diutius quum nostrorum impetus sustinere non possent, alteri se, ut cœperunt, in montem receperunt; alteri ad impedimenta et carros suos se contulerunt. Nam hoc toto prœlio, quum ab horâ septimâ ad vesperum pugnatum sit, aversum hostem videre nemo potuit. Ad multam noctem etiam ad impedimenta pugnatum est, propterea quod pro vallo carros objecerant, et e loco superiore in nostros venientes tela conjiciebant, et nonnulli inter carros rotasque mataras ac tragulas subjiciebunt nostrosque vulnerabant. Diu quum esset pugnatum, impedimentis castrisque nostri potiti sunt. Ibi Orgetorigis filia atque unus e filiis captus est. Ex eo prœlio circiter millia hominum CXXX superfuerunt, eâque totâ nocte continenter ierunt; nullam partem noctis itinere intermisso, in fines Lingonum die quarto pervenerunt, quum et propter vulnera militum et propter sepulturam occisorum nostri, triduum morati, eos sequi non potuissent. Cæsar ad Lingonas literas nunciosque misit, ne eos frumento neve aliâ re juvarent: qui si juvissent, se eodem loco quo Helvetios habiturum. Ipse, triduo intermisso, cum omnibus copiis eos sequi cœpit.

XXVII. Helvetii, omnium rerum inopiâ adducti, legatos de deditione ad eum miserunt. Qui quum eum in itinere convenissent, seque ad pedes projecissent suppliciterque locuti flentes pacem petissent, atque eos in eo loco, quo tum essent, suum adventum exspectare jussisset, paruerunt. Eo postquam Cæsar pervenit, obsides, arma, servos, qui ad eos perfugissent, poposcit. Dum ea conquiruntur et conferuntur, nocte intermissâ, circiter hominum millia VI ejus pagi, qui Urbigenus appellatur, sive timore perterriti, ne armis traditis supplicio afficerentur, sive spe salutis inducti, quod in tantâ multitudine dedititiorum suam fugam aut occultari, aut omnino ignorari posse existimarent, primâ nocte ex castris Helvetiorum egressi, ad Rhenum finesque Germanorum contenderunt.

XXVIII. Quod ubi Cæsar resciit, quorum per fines ierant, his uti conquirerent et reducerent, si sibi purgati esse vellent, imperavit; reductos in hostium numero habuit: reliquos omnes obsidibus, armis, perfugis traditis, in deditionem accepit. Helvetios, Tulingos, Latobrigos in fines suos, unde erant profecti, reverti jussit, et quod omnibus fructibus amissis domi nihil erat, quo famen tolerarent, Allobrogibus imperavit, ut his frumenti copiam facerent: ipsos oppida vicosque, quos incenderant, restituere jussit. Id eâ maxime ratione fecit, quod noluit eum locum, unde Helvetii discesserant, vacare; ne propter bonitatem agrorum Germani, qui trans Rhenum incolunt, e suis finibus in Helvetiorum fines transirent et finitimi Galliæ provinciæ Allobrogibusque essent. Boios, petentibus Æduis, quod egregiâ virtute erant cogniti, ut in finibus suis collocarent, concessit: quibus illi agros dederunt, quosque postea in parem juris libertatisque conditionem, atque ipsi erant, receperunt.

XXIX. In castris Helvetiorum tabulæ repertæ sunt literis Græcis confectæ, et ad Cæsarem relatæ, quibus in tabulis nominatim ratio confecta erat, qui numerus domo exisset eorum, qui arma ferre possent: et item separatim pueri, senes, mulieresque. Quarum omnium rerum summa erat, capitum Helvetiorum millia CCLXIII, Tulingorum millia XXXVI, Latobrigorum

XIV, Rauracorum XXIII, Boiorum XXXII: ex his, qui arma ferre possent, ad millia XCII. Summa omnium fuerunt ad millia CCCLXVIII. Eorum, qui domum redierunt, censu habito, ut Cæsar imperaverat, repertus est numerus millium C et X.

XXX. Bello Helvetiorum confecto, totius fere Galliæ legati, principes civitatum, ad Cæsarem gratulatum convenerunt: intelligere sese, tametsi pro veteribus Helvetiorum injuriis populi Romani ab iis pœnas bello repetisset, tamen eam rem non minus ex usu terræ Galliæ, quam populi Romani accidisse: propterea quod eo consilio florentissimis rebus domos suas Helvetii reliquissent, ut toti Galliæ bellum inferrent imperioque potirentur, locumque domicilio ex magnâ copiâ deligerent, quem ex omni Galliâ opportunissimum ac fructuosissimum judicassent, reliquasque civitates stipendiarias haberent. Petierunt, uti sibi concilium totius Galliæ in diem certam indicere, idque Cæsaris voluntate facere liceret: sese habere quasdam res, quas ex communi consensu ab eo petere vellent. Eâ re permissâ, diem concilio constituerunt, et jurejurando, ne quis enunciaret, nisi quibus communi consilio mandatum esset, inter se sanxerunt.

XXXI. Eo concilio dimisso, iidem principes civitatum, qui ante fuerant ad Cæsarem, reverterunt, petieruntque, uti sibi secreto in occulto de suâ omniumque salute cum eo agere liceret. Eâ re impetratâ, sese omnes flentes Cæsari ad pedes projecerunt: non minus se id contendere et laborare, ne ea, quæ dixissent, enunciarentur, quam uti ea, quæ vellent, impetrarent; propterea quod, si enunciatum esset, summum in cruciatum se venturos viderent. Locutus est pro his Divitiacus Æduus: Galliæ totius factiones esse duas: harum alterius principatum tenere Æduos, alterius Arvernos. Hi quum tantopere de potentatu inter se multos annos contenderent, factum esse, uti ab Arvernis Sequanisque Germani mercede arcesserentur. Horum primo circiter millia XV Rhenum transisse: posteaquam agros et cultum et copias Gallorum homines feri ac barbari adamassent, transductos plures: nunc esse in Galliâ ad C et XX millium numerum: cum his

Æduos eorumque clientes semel atque iterum armis contendisse; magnam calamitatem pulsos accepisse, omnem nobilitatem, omnem senatum, omnem equitatum amisisse. Quibus prœliis calamitatibusque fractos, qui et suâ virtute et populi Romani hospitio atque amicitiâ plurimum ante in Galliâ potuissent, coactos esse Sequanis obsides dare, nobilissimos civitatis, et jurejurando civitatem obstringere, sese neque obsides repetituros, neque auxilium a populo Romano imploraturos, neque recusaturos, quo minus perpetuo sub illorum ditione atque imperio essent. Unum se esse ex omni civitate Æduorum, qui adduci non potuerit, ut juraret aut suos liberos obsides daret. Ob eam rem se ex civitate profugisse et Romam ad senatum venisse, auxilium postulatum, quod solus neque jurejurando neque obsidibus teneretur. Sed pejus victoribus Sequanis, quam Æduis victis accidisse: propterea quod Ariovistus, rex Germanorum, in eorum finibus consedisset, tertiamque partem agri Sequani, qui esset optimus totius Galliæ, occupavisset, et nunc de alterâ parte tertiâ Sequanos decedere juberet, propterea quod paucis mensibus ante Harudum millia hominum XXIV ad eum venissent, quibus locus ac sedes pararentur. Futurum esse paucis annis, uti omnes ex Galliæ finibus pellerentur, atque omnes Germani Rhenum transirent: neque enim conferendum esse Gallicum cum Germanorum agro, neque hanc consuetudinem victûs cum illâ comparandam. Ariovistum autem, ut semel Gallorum copias prœlio vicerit, quod prœlium factum sit ad Magetobriam, superbe et crudeliter imperare, obsides nobilissimi cujusque liberos poscere, et in eos omnia exempla cruciatusque edere, si qua res non ad nutum aut ad voluntatem ejus facta sit: hominem esse barbarum, iracundum, temerarium: non posse ejus imperia diutius sustineri. Nisi si quid in Cæsare populoque Romano sit auxilii, omnibus Gallis idem esse faciundum, quod Helvetii fecerint, ut domo emigrent, aliud domicilium, alias sedes, remotas a Germanis, petant, fortunamque, quæcumque accidat, experiantur. Hæc si enunciata Ariovisto sint, non dubitare, quin de omnibus obsidibus, qui apud eum sint, gravissimum supplicium sumat. Cæsarem vel aucto-

ritate suâ atque exercitûs, vel recenti victoriâ, vel nomine populi Romani deterrere posse, ne major multitudo Germanorum Rhenum transducatur, Galliamque omnem ab Ariovisti injuriâ posse defendere.

XXXII. Hâc oratione ab Divitiaco habitâ, omnes qui aderant magno fletu auxilium a Cæsare petere cœperunt. Animadvertit Cæsar unos ex omnibus Sequanos nihil earum rerum facere, quas ceteri facerent; sed tristes, capite demisso, terram intueri. Ejus rei quæ causa esset, miratus ex ipsis quæsiit. Nihil Sequani respondere, sed in eâdem tristitiâ taciti permanere. Quum ab iis sæpius quæreret, neque ullam omnino vocem exprimere posset, idem Divitiacus Æduus respondit: Hoc esse miseriorem gravioremque fortunam Sequanorum præ reliquorum, quod soli ne in occulto quidem queri, nec auxilium implorare auderent, absentisque Ariovisti crudelitatem, velut si coram adesset, horrerent: propterea quod reliquis tamen fugæ facultas daretur; Sequanis vero, qui intra fines suos Ariovistum recepissent, quorum oppida omnia in ejus potestate essent, omnes cruciatus essent perferendi.

XXXIII. His rebus cognitis, Cæsar Gallorum animos verbis confirmavit pollicitusque est sibi eam rem curæ futuram: magnam se habere spem, et beneficio suo et auctoritate adductum Ariovistum finem injuriis facturum. Hâc oratione habitâ concilium dimisit, et secundum ea multæ res eum hortabantur, quare sibi eam rem cogitandam et suscipiendam putaret; imprimis quod Æduos, fratres consanguineosque sæpenumero ab senatu appellatos, in servitute atque in ditione videbat Germanorum teneri, eorumque obsides esse apud Ariovistum ac Sequanos intelligebat: quod in tanto imperio populi Romani turpissimum sibi et reipublicæ esse arbitrabatur. Paullatim autem Germanos consuescere Rhenum transire et in Galliam magnam eorum multitudinem venire, populo Romano periculosum videbat: neque sibi homines feros ac barbaros temperaturos existimabat, quin, quum omnem Galliam occupassent, ut ante Cimbri Teutonique fecissent, in Provinciam exirent atque inde in Italiam contenderent; præsertim quum Sequanos a Provinciâ nostrâ Rhodanus divideret.

Quibus rebus quam maturrime occurrendum putabat. Ipse autem Ariovistus tantos sibi spiritus, tantam arrogantiam sumserat, ut ferendus non videretur.

XXXIV. Quamobrem placuit ei, ut ad Ariovistum legatos mitteret, qui ab eo postularent, uti aliquem locum medium utriusque colloquio diceret: velle sese de republicâ et summis utriusque rebus cum eo agere. Ei legationi Ariovistus respondit: Si quid ipsi a Cæsare opus esset, sese ad eum venturum fuisse; si quid ille se velit, illum ad se venire oportere. Præterea se neque sine exercitu in eas partes Galliæ venire audere, quas Cæsar possideret, neque exercitum sine magno commeatu atque emolimento in unum locum contrahere posse: sibi autem mirum videri, quid in suâ Galliâ quam bello vicisset, aut Cæsari aut omnino populo Romano negotii esset.

XXXV. His responsis ad Cæsarem relatis, iterum ad eum Cæsar legatos cum his mandatis mittit: Quoniam tanto suo populique Romani beneficio affectus, quum in consulatu suo rex atque amicus a senatu appellatus esset, hanc sibi populoque Romano gratiam referret, ut in colloquium venire invitatus gravaretur, neque de communi re dicendum sibi et cognoscendum putaret; hæc esse, quæ ab eo postularet: primum, ne quam hominum multitudinem amplius trans Rhenum in Galliam transduceret: deinde obsides, quos haberet ab Æduis, redderet, Sequanisque permitteret, ut quos illi haberent, voluntate ejus reddere illis liceret; neve Æduos injuriâ lacesseret, neve his sociisque eorum bellum inferret: si id ita fecisset, sibi populoque Romano perpetuam gratiam atque amicitiam cum eo futuram: si non impetraret, sese, quoniam M. Messalâ, M. Pisone Coss, senatus censuisset, uti quicumque Galliam provinciam obtineret, quod commodo reipublicæ facere posset, Æduos ceterosque amicos populi Romani defenderet, Æduorum injurias non neglecturum.

XXXVI. Ad hæc Ariovistus respondit: Jus esse belli, ut qui vicissent iis quos vicissent, quemadmodum vellent, imperarent: item populum Romanum victis non ad alterius præscriptum, sed ad suum arbitrium

imperare consuesse. Si ipse populo Romano non præscriberet, quemadmodum suo jure uteretur; nou oportere sese a populo Romano in suo jure impediri. Æduos sibi, quoniam belli fortunam tentassent, et armis congressi ac superati essent, stipendiarios esse factos. Magnam Cæsarem injuriam facere, qui suo adventu vectigalia sibi, deteriora faceret. Æduis se obsides redditurum non esse, neque iis neque eorum sociis injuriâ bellum illaturum, si in eo manerent quod convenisset, stipendiumque quotannis penderent: si id non fecissent, longe iis fraternum nomen populi Romani abfuturum. Quod sibi Cæsar denunciaret se Æduorum injurias non neglecturum; neminem secum sine suâ pernicie contendisse. Quum vellet, congrederetur; intellecturum, quid invicti Germani, exercitatissimi in armis, qui inter annos XIV tectum non subissent, virtute possent.

XXXVII. Hæc eodem tempore Cæsari mandata referebantur, et legati ab Æduis et a Treviris veniebant: Ædui questum, quod Harudes, qui nuper in Galliam transportati essent, fines eorum popularentur; sese ne obsidibus quidem datis pacem Ariovisti redimere potuisse: Treviri autem, pagos centum Suevorum ad ripas Rheni consedisse, qui Rhenum transire conarentur; iis præesse Nasuam et Cimberium fratres. Quibus rebus Cæsar vehementer commotus, maturandum sibi existimavit, ne, si nova manus Suevorum cum veteribus copiis Ariovisti sese conjunxisset, minus facile resisti posset. Itaque re frumentariâ quam celerrime potuit comparatâ, magnis itineribus ad Ariovistum contendit.

XXXVIII. Quum tridui viam perfecisset, nunciatum est ei, Ariovistum cum suis omnibus copiis ad occupandum Vesontionem, quod est oppidum maximum Sequanorum, contendere triduique viam a suis finibus processisse. Id ne accideret magno opere sibi præcavendum Cæsar existimabat: namque omnium rerum, quæ ad bellum usui erant, summa erat in eo oppido facultas; idque naturâ loci sic muniebatur, ut magnam ad ducendum bellum daret facultatem, propterea quod flumen Dubis, ut circino circumductum, pæne totum oppidum cingit: reliquum spatium, quod est non amplius

pedum DC, qua flumen intermittit, mons côntinet magnâ altitudine, ita ut radices montis ex utrâque parte ripæ fluminis contingant. Hunc murus circumdatus arcem efficit et cum oppido conjungit. Huc Cæsar magnis nocturnis diurnisque itineribus contendit, occupatoque oppido ibi præsidium collocat.

XXXIX. Dum paucos dies ad Vesontionem rei frumentariæ commeatûsque causâ moratur, ex percunctatione nostrorum vocibusque Gallorum ac mercatorum, qui ingenti magnitudine corporum Germanos, incredibili virtute atque exercitatione in armis esse prædicabant, sæpenumero sese cum eis congressos ne vultum quidem atque aciem oculorum ferre potuisse, tantus subito timor omnem exercitum occupavit, ut non mediocriter omnium mentes animosque perturbaret. Hic primum ortus est a tribunis militum, præfectis, reliquisque qui ex urbe amicitiæ causâ Cæsarem secuti, magnum periculum miserabantur, quod non magnum in re militari usum habebant, quorum alius aliâ causâ illatâ, quam sibi ad proficiscendum necessariam esse diceret, petebat, ut ejus voluntate discedere liceret: nonnulli, pudore adducti, ut timoris suspicionem vitarent, remanebant. Hi neque vultum fingere, neque interdum lacrimas tenere poterant: abditi in tabernaculis aut suum fatum querebantur, aut cum familiaribus suis commune periculum miserabantur. Vulgo totis castris testamenta obsignabantur. Horum vocibus ac timore paullatim etiam ii, qui magnum in castris usum habebant, milites centurionesque, quique equitatui præerant, perturbabantur. Qui se ex his minus timidos existimari volebant, non se hostem vereri, sed angustias itineris et magnitudinem silvarum, quæ intercederent inter ipsos atque Ariovistum, aut rem frumentariam, ut satis commode supportari posset, timere dicebant. Nonnulli etiam Cæsari renunciabant, quum castra moveri ac signa ferri jussisset, non fore dicto audientes milites nec propter timorem signa laturos.

XL. Hæc quum animadvertisset, convocato consilio omniumque ordinum ad id consilium adhibitis centurionibus, vehementer eos incusavit: primum, quod aut quam in partem, aut quo consilio ducerentur, sibi quæ-

rendum aut cogitandum putarent. Ariovistum, se consule, cupidissime populi Romani amicitiam appetisse; cur hunc tam temere quisquam ab officio discessurum judicaret? Sibi quidem persuaderi, cognitis suis postulatis atque æquitate conditionum perspectâ, eum neque suam, neque populi Romani gratiam repudiaturum. Quod si furore atque amentiâ impulsus bellum intulisset, quid tandem vererentur? aut cur de suâ virtute aut de ipsius diligentiâ desperarent? Factum ejus hostis periculum patrum nostrorum memoriâ, quum, Cimbris et Teutonis a C. Mario pulsis, non minorem laudem exercitus quam ipse imperator meritus videbatur: factum etiam nuper in Italiâ servili tumultu, quos tamen aliquid usus ac disciplina, quam a nobis accepissent, sublevarent. Ex quo judicari posset, quantum haberet in se boni constantia; propterea quod quos aliquamdiu inermos sine causâ timuissent, hos postea armatos ac victores superassent. Denique hos esse eosdem, quibuscum sæpenumero Helvetii congressi non solum in suis, sed etiam in illorum finibus plerumque superarint, qui tamen pares esse nostro exercitui non potuerint. Si quos adversum prœlium et fuga Gallorum commoveret, hos, si quærerent, reperire posse, diuturnitate belli defatigatis Gallis, Ariovistum, quum multos menses castris se ac paludibus tenuisset neque sui potestatem fecisset, desperantes jam de pugnâ et dispersos subito adortum, magis ratione et consilio quam virtute vicisse. Cui rationi contra homines barbaros atque imperitos locus fuisset, hâc ne ipsum quidem sperare nostros exercitus capi posse. Qui suum timorem in rei frumentariæ simulationem angustiasque itineris conferrent, facere arroganter, quum aut de officio imperatoris desperare aut præscribere viderentur. Hæc sibi esse curæ; frumentum Sequanos, Leucos, Lingonas subministrare, jamque esse in agris frumenta matura: de itinere ipsos brevi tempore judicaturos. Quod non fore dicto audientes milites neque signa laturi dicantur, nihil se eâ re commoveri: scire enim, quibuscumque exercitus dicto audiens non fuerit, aut male re gestâ, fortunam defuisse, aut aliquo facinore comperto, avaritiam esse convictam. Suam innocentiam perpetuâ

vitâ, felicitatem Helvetiorum bello esse perspectam. Itaque se quod in longiorem diem collaturus esset, repræsentaturum, et proximâ nocte de quartâ vigiliâ castra moturum, ut quam primum intelligere posset, utrum apud eos pudor atque officium, an timor valeret. Quod si præterea nemo sequatur, tamen se cum solâ decimâ legione iturum, de quâ non dubitaret; sibique eam prætoriam cohortem futuram. Huic legioni Cæsar et indulserat præcipue et propter virtutem confidebat maxime.

XLI. Hâc oratione habitâ, mirum in modum conversæ sunt omnium mentes, summaque alacritas et cupiditas belli gerendi innata est, princepsque decima legio per tribunos militum ei gratias egit, quod de se optimum judicium fecisset, seque esse ad bellum gerendum paratissimam confirmavit. Deinde reliquæ legiones per tribunos militum et primorum ordinum centuriones egerunt, uti Cæsari satisfacerent: se neque unquam dubitasse, neque timuisse, neque de summâ belli suum judicium, sed imperatoris esse existimavisse. Eorum satisfactione acceptâ, et itinere exquisito per Divitiacum, quod ex aliis ei maximam fidem habebat, ut millium amplius quinquaginta circuitu locis apertis exercitum duceret, de quartâ vigiliâ, ut dixerat, profectus est. Septimo die, quum iter non intermitteret, ab exploratoribus certior factus est, Ariovisti copias a nostris millibus passuum quatuor et viginti abesse.

XLII. Cognito Cæsaris adventu, Ariovistus legatos ad eum mittit: quod antea de colloquio postulasset, id per se fieri licere, quoniam propius accessisset: seque id sine periculo facere posse existimare. Non respuit conditionem Cæsar: jamque eum ad sanitatem reverti arbitrabatur, quum id quod antea petenti denegasset, ultro polliceretur; magnamque in spem veniebat, pro suis tantis populique Romani in eum beneficiis, cognitis suis postulatis, fore uti pertinaciâ desisteret. Dies colloquio dictus est ex eo die quintus. Interim quum sæpe ultro citroque legati inter eos mitterentur, Ariovistus postulavit, ne quem peditem ad colloquium Cæsar adduceret: vereri se, ne per insidias ab eo circumveniretur: uterque cum equitatu veniret: aliâ

ratione se non esse venturum. Cæsar, quod neque colloquium interpositâ causâ tolli volebat, neque salutem suam Gallorum equitatui committere audebat, commodissimum esse statuit, omnibus equis Gallis equitibus detractis, eo legionarios milites legionis decimæ, cui quam maxime confidebat, imponere, ut præsidium quam amicissimum, si quid facto opus esset, haberet. Quod quum fieret, non irridicule quidam ex militibus decimæ legionis dixit, plus quam pollicitus esset, Cæsarem ei facere: pollicitum, se in cohortis prætoriæ loco decimam legionem habiturum, nunc ad equum rescribere.

XLIII. Planicies erat magna, et in eâ tumulus terrenus satis grandis. Hic locus æquo fere spatio ab castris utrisque aberat. Eo, ut erat dictum, ad colloquium venerunt. Legionem Cæsar, quam equis devexerat, passibus ducentis ab eo tumulo constituit. Item equites Ariovisti pari intervallo constiterunt. Ariovistus, ex equis ut colloquerentur, et præter se denos ut ad colloquium adducerent, postulavit. Ubi eo ventum est, Cæsar initio orationis sua senatûsque in eum beneficia commemoravit, quod munera amplissima missa: quam rem et paucis contigisse, et pro magnis hominum officiis consuesse tribui docebat: illum, quum neque aditum, neque causam postulandi justam haberet, beneficio ac liberalitate suâ ac senatûs ea præmia consecutum. Docebat etiam, quam veteres quamque justæ causæ necessitudinis ipsis cum Æduis intercederent, quæ senatûs consulta, quoties quamque honorifica in eos facta essent: ut omni tempore totius Galliæ principatum Ædui tenuissent, prius etiam quam nostram amicitiam appetissent: populi Romani hanc esse consuetudinem, ut socios atque amicos non modo sui nihil deperdere, sed gratiâ, dignitate, honore auctiores velit esse: quod vero ad amicitiam populi Romani attulissent, id iis eripi quis pati posset? Postulavit deinde eadem, quæ legatis in mandatis dederat, ne aut Æduis aut eorum sociis bellum inferret; obsides redderet: si nullam partem Germanorum domum remittere posset, at ne quos amplius Rhenum transire pateretur.

XLIV. Ariovistus ad postulata Cæsaris pauca respondit; de suis virtutibus multa prædicavit: Transisse Rhenum sese non suâ sponte, sed rogatum et arcessitum a Gallis: non sine magnâ spe magnisque præmiis domum propinquosque reliquisse; sedes habere in Galliâ ab ipsis concessas; obsides ipsorum voluntate datos; stipendium capere jure belli, quod victores victis imponere consuerint; non sese Gallis, sed Gallos sibi bellum intulisse; omnes Galliæ civitates ad se oppugnandum venisse ac contra se castra habuisse; eas omnes copias a se uno prœlio fusas ac superatas esse; si iterum experiri velint, iterum paratum sese decertare; si pace uti velint, iniquum esse de stipendio recusare, quod suâ voluntate ad id tempus pependerint. Amicitiam populi Romani sibi ornamento et præsidio, non detrimento esse oportere, idque se eâ spe petisse. Si per populum Romanum stipendium remittatur et dedititii subtrahantur, non minus libenter sese recusaturum populi Romani amicitiam, quam appetierit. Quod multitudinem Germanorum in Galliam transducat, id se sui muniendi, non Galliæ impugnandæ causâ facere; ejus rei testimonium esse, quod nisi rogatus non venerit, et quod bellum non intulerit, sed defenderit. Se prius in Galliam venisse, quam populum Romanum. Numquam ante hoc tempus exercitum populi Romani Galliæ provinciæ fines egressum. Quid sibi vellet? Cur in suas possessiones veniret? Provinciam suam esse hanc Galliam, sicut illam nostram. Ut ipsi concedi non oporteret, si in nostros fines impetum faceret, sic item nos esse iniquos, qui in suo jure se interpellaremus. Quod fratres a senatu Æduos appellatos diceret, non se tam barbarum neque tam imperitum esse rerum, ut non sciret, neque bello Allobrogum proximo Æduos Romanis auxilium tulisse, neque ipsos in his contentionibus, quas Ædui secum et cum Sequanis habuissent, auxilio populi Romani usos esse. Debere se suspicari, simulatâ Cæsarem amicitiâ, quod exercitum in Gallia habeat, sui opprimendi causâ habere. Qui nisi decedat atque exercitum deducat ex his regionibus, sese illum non pro amico, sed pro hoste habiturum: quod si eum interfecerit, multis sese nobilibus principibusque populi

Romani gratum esse facturum; id se ab ipsis per eorum nuncios compertum habere, quorum omnium gratiam atque amicitiam ejus morte redimere posset. Quod si decessisset et liberam posessionem Galliæ sibi tradidisset, magno se illum præmio remuneraturum, et quæcumque bella geri vellet, sine ullo ejus labore et periculo confecturum.

XLV. Multa ab Cæsare in eam sententiam dicta sunt, quare negotio desistere non posset, et neque suam neque populi Romani consuetudinem pati, uti optime meritos socios desereret: neque se judicare Galliam potius esse Ariovisti, quam populi Romani. Bello superatos esse Arvernos et Rutenos ab Q. Fabio Maximo, quibus populus Romanus ignovisset, neque in provinciam redegisset, neque stipendium imposuisset. Quod si antiquissimum quodque tempus spectari oporteret, populi Romani justissimum esse in Galliâ imperium: si judicium senatûs observari oporteret, liberam debere esse Galliam, quam bello victam suis legibus uti voluisset.

XLVI. Dum hæc in colloquio geruntur, Cæsari nunciatum est, equites Ariovisti propius tumulum accedere et ad nostros adequitare, lapides telaque in nostros conjicere. Cæsar loquendi finem fecit, seque ad suos recepit suisque imperavit, ne quod omnino telum in hostes rejicerent. Nam etsi sine ullo periculo legionis delectæ cum equitatu prœlium fore videbat: tamen committendum non putabat, ut, pulsis hostibus, dici posset eos ab se per fidem in colloquio circumventos. Posteaquam in vulgus militum elatum est, quâ arrogantiâ in colloquio Ariovistus usus omni Galliâ Romanis interdixisset impetumque in nostros ejus equites fecissent, eaque res colloquium ut diremisset: multo major alacritas studiumque pugnandi majus exercitui injectum est.

XLVII. Biduo post Ariovistus ad Cæsarem legatos mittit, velle se de his rebus, quæ inter eos agi coeptæ neque perfectæ essent, agere cum eo: uti aut iterum colloquio diem constitueret, aut, si id minus vellet, ex suis legatis aliquem ad se mitteret. Colloquendi Cæsari causa visa non est, et eo magis, quod pridie ejus diei

Germani retineri non poterant, quin in nostros tela conjicerent. Legatum ex suis sese magno cum periculo ad eum missurum et hominibus feris objecturum existimabat. Commodissimum visum est C. Valerium Procillum, C. Valerii Caburi filium, summâ virtute et humanitate adolescentem (cujus pater a C. Valerio Flacco civitate donatus erat), et propter fidem, et propter linguæ Gallicæ scientiam, qua multâ jam Ariovistus longinquâ consuetudine utebatur, et quod in eo peccandi Germanis causa non esset, ad eum mittere, et M. Mettium, qui hospitio Ariovisti usus erat. His mandavit, ut quæ diceret Ariovistus, cognoscerent et ad se referrent. Quos quum apud se in castris Ariovistus conspexisset, exercitu suo præsente, conclamavit: Quid ad se venirent? An speculandi causâ? Conantes dicere prohibuit et in catenas conjecit.

XLVIII. Eodem die castra promovit, et millibus passuum sex a Cæsaris castris sub monte consedit. Postridie ejus diei præter castra Cæsaris suas copias transduxit, et millibus passuum duobus ultra eum castra fecit, eo consilio, uti frumento commeatuque, qui ex Sequanis et Æduis supportaretur, Cæsarem intercluderet. Ex eo die dies continuos quinque Cæsar pro castris suas copias produxit, et aciem instructam habuit, ut si vellet Ariovistus prœlio contendere, ei potestas non deesset. Ariovistus his omnibus diebus exercitum castris continuit: equestri prœlio quotidie contendit. Genus hoc erat pugnæ, quo se Germani exercuerant. Equitum millia erant sex; totidem numero pedites velocissimi ac fortissimi; quos ex omni copia singuli singulos suæ salutis causâ delegerant. Cum his in prœliis versabantur, ad hos se equites recipiebant: hi, si quid erat durius, concurrebant: si qui graviore vulnere accepto equo deciderat, circumsistebant: si quo erat longius prodeundum aut celerius recipiendum, tanta erat horum exercitatione celeritas, ut jubis equorum sublevati cursum adæquarent.

XLIX. Ubi eum castris se tenere Cæsar intellexit, ne diutius commeatu prohiberetur, ultra eum locum, quo in loco Germani consederant, circiter passus sexcentos ab eis castris idoneum locum delegit, acieque

triplici instructâ, ad eum locum venit. Primam et secundam aciem in armis esse, tertiam castra munire jussit. Hic locus ab hoste circiter passus sexcentos, uti dictum est, aberat. Eo circiter hominum numero XVI millia expedita cum omni equitatu Ariovistus misit, quæ copiæ nostros perterrerent et munitione prohiberent. Nihilo secius Cæsar, ut ante constituerat, duas acies hostem propulsare, tertiam opus perficere jussit. Munitis castris, duas ibi legiones reliquit et partem auxiliorum; quatuor reliquas in castra majora reduxit.

L. Proximo die instituto suo Cæsar e castris utrisque copias suas eduxit, paullumque a majoribus progressus, aciem instruxit, hostibusque pugnandi potestatem fecit. Ubi ne tum quidem eos prodire intellexit, circiter meridiem exercitum in castra reduxit. Tum demum Ariovistus partem suarum copiarum, quæ castra minora oppugnaret, misit; acriter utrimque usque ad vesperum pugnatum est. Solis occasu suas copias Ariovistus, multis et illatis et acceptis vulneribus, in castra reduxit. Quum ex captivis quæreret Cæsar, quam ob rem Ariovistus prœlio non decertaret, hanc reperiebat causam, quod apud Germanos ea consuetudo esset, ut matres familiæ eorum sortibus et vaticinationibus declararent, utrum prœlium committi ex usu esset, nec ne: eas ita dicere: Non esse fas Germanos superare, si ante novam lunam prœlio contendissent.

LI. Postridie ejus diei Cæsar, præsidio utrisque castris, quod satis esse visum est, relicto, omnes alarios in conspectu hostium pro castris minoribus constituit, quod minus multitudine militum legionariorum pro hostium numero valebat, ut ad speciem alariis uteretur. Ipse triplici instructâ acie usque ad castra hostium accessit. Tum demum necessario Germani suas copias castris eduxerunt, generatimque constituerunt paribusque intervallis Harudes, Marcomannos, Triboccos, Vangiones, Nemetes, Sedusios, Suevos, omnemque aciem suam rhedis et carris circumdederunt, ne qua spes in fugâ relinqueretur. Eo mulieres imposuerunt, quæ in prœlium proficiscentes milites passis manibus flentes implorabant, ne se in servitutem Romanis traderent.

LII. Cæsar singulis legionibus singulos legatos et quæstorem præfecit, uti eos testes suæ quisque virtutis haberet. Ipse a dextro cornu, quod eam partem minime firmam hostium esse animadverterat, prælium commisit. Ita nostri acriter in hostes signo dato impetum fecerunt, itaque hostes repente celeriterque procurrerunt, ut spatium pila in hostes conjiciendi non daretur. Rejectis pilis, comminus gladiis pugnatum est: at Germani, celeriter ex consuetudine suâ phalange factâ, impetus gladiorum exceperunt. Reperti sunt complures nostri milites, qui in phalangas insilirent et scuta manibus revellerent et desuper vulnerarent. Quum hostium acies a sinistro cornu pulsa atque in fugam conversa esset, a dextro cornu vehementer multitudine suorum nostram aciem premebant. Id quum animadvertisset P. Crassus adolescens, qui equitatui præerat, quod expeditior erat quam hi, qui inter aciem versabantur, tertiam aciem laborantibus nostris subsidio misit.

LIII. Ita prœlium restitutum est, atque omnes hostes terga verterunt, neque prius fugere destiterunt, quam ad flumen Rhenum millia passuum ex eo loco circiter quinquaginta pervenerint. Ibi perpauci aut viribus confisi transnatare contenderunt, aut lintribus inventis sibi salutem repererunt. In his fuit Ariovistus, qui naviculam deligatam ad ripam nactus, eâ profugit; reliquos omnes consecuti equites nostri interfecerunt. Duæ fuerunt Ariovisti uxores, una Sueva natione, quam ab domo secum eduxerat; altera Norica, regis Vocionis soror, quam in Galliâ duxerat a fratre missam: utræque in eâ fugâ perierunt. Duæ filiæ harum, altera occisa, altera capta est. C. Valerius Procillus, quum a custodibus in fugâ trinis catenis vinctus traheretur, in ipsum Cæsarem, hostes equitatu persequentem, incidit. Quæ quidem res Cæsari non minorem quam ipsa victoria voluptatem attulit, quod hominem honestissimum provinciæ Galliæ, suum familiarem et hospitem, ereptum e manibus hostium, sibi restitutum videbat, neque ejus calamitate de tantâ voluptate et gratulatione quidquam fortuna deminuerat. Is se præsente de se ter sortibus consultum dicebat,

utrum igni statim necaretur, an in aliud tempus reservaretur: sortium beneficio se esse incolumem. Item M. Mettius repertus et ad eum reductus est.

LIV. Hoc prœlio trans Rhenum nunciato, Suevi, qui ad ripas Rheni venerant, domum reverti cœperunt: quos Ubii, qui proximi Rhenum incolunt, perterritos insecuti, magnum ex his numerum occiderunt. Cæsar, unâ æstate duobus maximis bellis confectis, maturius paullo quam tempus anni postulabat, in hiberna in Sequanos exercitum deduxit: hibernis Labienum præposuit: ipse in citeriorem Galliam ad conventus agendos profectus est.

LIBER SECUNDUS.

Conjuratio Belgarum c. 1. *Deditio Remorum, adveniente Cæsare* 2. 3. *Origo et copiæ Belgarum* 4. *Iter et castra Cæsaris ad flumen Axonam* 5. *Oppugnatio oppidi nomine Bibrax soluta, misso a Cæsare contra Belgas subsidio* 6. 7. *Castra Cæsaris idoneo loco contra Belgas* 8. *Discessus Belgarum ad tuendos fines contra Æduos, Titurio legato frustra impugnato. Clades.* 9—11. *Deditio Suessionum et Bellovacorum* 12—14. *Ambianorum. Mores Nerviorum* 15. *Bellum Nervicum. Clades. Deditio* 16—28. *Bellum Aduatucorum. Obsessio. Perfidia. Calamitas* 29—33. *Expeditio P. Crassi in Armoricam; plures civitates maritimæ ab eo subactæ* 34. *Opinio hujus belli apud Germanos; legati Germanorum ad Cæsarem; iter Cæsaris in Italiam et Illyricam; hiberna; supplicatio Romæ* 35.

Quum esset Cæsar in citeriore Galliâ in hibernis, ita uti supra demonstravimus, crebri ad eum rumores afferebantur, literisque item Labieni certior fiebat, omnes Belgas, quam tertiam esse Galliæ partem dixeramus, contra populum Romanum conjurare obsidesque inter se dare. Conjurandi has esse causas: primum, quod vererentur, ne omni pacatâ Galliâ ad eos exercitus

noster adduceretur: deinde, quod ab nonnullis Gallis sollicitarentur, partim qui, ut Germanos diutius in Galliâ versari noluerant, ita populi Romani exercitum hiemare atque inveterascere in Galliâ moleste ferebant; partim qui mobilitate et levitate animi novis imperiis studebant: ab nonnullis etiam, quod in Galliâ a potentioribus atque his, qui ad conducendos homines facultates habebant, vulgo regna occupabantur, qui minus facile eam rem in imperio nostro consequi poterant.

II. Iis nunciis literisque commotus Cæsar duas legiones in citeriore Galliâ novas conscripsit, et initâ æstate, in interiorem Galliam qui deduceret, Q. Pedium legatum misit. Ipse quum primum pabuli copia esse inciperet, ad exercitum venit: dat negotium Senonibus reliquisque Gallis, qui finitimi Belgis erant, uti ea quæ apud eos gerantur, cognoscant seque de his rebus certiorem faciant. Hi constanter omnes nunciaverunt, manus cogi, exercitum in unum locum conduci. Tum vero dubitandum non existimavit, quin ad eos [XII die] proficisceretur. Re frumentariâ provisâ, castra movet diebusque circiter quindecim ad fines Belgarum pervenit.

III. Eo quum de improviso celeriusque omni opinione venisset, Remi, qui proximi Galliæ ex Belgis sunt, ad eum legatos Iccium et Antebrogium, primos civitatis, miserunt, qui dicerent, se suaque omnia in fidem atque potestatem populi Romani permittere: neque se cum Belgis reliquis consensisse, neque contra populum Romanum omnino conjurasse: paratosque esse et obsides dare et imperata facere et oppidis recipere et frumento ceterisque rebus juvare: reliquos omnes Belgas in armis esse: Germanosque, qui cis Rhenum incolunt, sese cum his conjunxisse: tantumque esse eorum omnium furorem, ut ne Suessiones quidem, fratres consanguineosque suos, qui eodem jure, iisdem legibus utantur, unum imperium unumque magistratum cum ipsis habeant, deterrere potuerint, quin cum his consentirent.

IV. Quum ab his quæreret, quæ civitates quantæque in armis essent, et quid in bello possent, sic reperiebat: plerosque Belgas esse ortos ab Germanis; Rhenumque

antiquitus transductos, propter loci fertilitatem ibi consedisse, Gallosque, qui ea loca incolerent, expulisse: solosque esse, qui patrum nostrorum memoriâ, omni Galliâ vexatâ, Teutonos Cimbrosque intra fines suos ingredi prohibuerint. Quâ ex re fieri, uti earum rerum memoriâ magnam sibi auctoritatem magnosque spiritus in re militari sumerent. De numero eorum omnia se habere explorata Remi dicebant, propterea quod propinquitatibus affinitatibusque conjuncti, quantam quisque multitudinem in communi Belgarum concilio ad id bellum polliticus sit, cognoverint. Plurimum inter eos Bellovacos et virtute et auctoritate et hominum numero valere: hos posse conficere armata millia centum: pollicitos ex eo numero electa LX, totiusque belli imperium sibi postulare. Suessiones suos esse finitimos, latissimos feracissimosque agros possidere. Apud eos fuisse regem nostrâ etiam memoriâ Divitiacum, totius Galliæ potentissimum, qui quum magnæ partis harum regionum, tum etiam Britanniæ imperium obtinuerit: nunc esse regem Galbam: ad hunc propter justitiam prudentiamque summam totius belli omnium voluntate deferri: oppida habere numero XII, polliceri millia armata quinquaginta: totidem Nervios, qui maxime feri inter ipsos habeantur longissimeque absint; XV millia Atrebates: Ambianos X millia: Morinos XXV millia: Menapios IX millia: Calatos X millia: Velocasses et Veromanduos totidem: Aduatucos XXIX millia, Condrusos, Eburones, Cæræsos, Pæmanos, qui uno nomine Germani appellantur, arbitrari ad XL millia.

V. Cæsar Remos cohortatus liberaliterque oratione prosecutus, omnem senatum ad se convenire principumque liberos obsides ad se adduci jussit. Quæ omnia ab his diligenter ad diem facta sunt. Ipse Divitiacum Æduum magno opere cohortatus, docet, quanto opere rei publicæ communisque salutis intersit manus hostium distineri, ne cum tantâ multitudine uno tempore confligendum sit. Id fieri posse, si suas copias Ædui in fines Bellovacorum introduxerint et eorum agros populari cœperint. His mandatis, eum ab se dimittit. Postquam omnes Belgarum copias in unum locum

coactas ad se venire vidit, neque jam longe abesse ab his quos miserat exploratoribus et ab Remis cognovit; flumen Axonam, quod est in extremis Remorum finibus exercitum transducere maturavit, atque ibi castra posuit. Quæ res et latus unum castrorum ripis fluminis muniebat, et post eum quæ essent, tuta ab hostibus reddebat, et commeatus ab Remis reliquisque civitatibus ut sine periculo ad eum portari posset, efficiebat. In eo flumine pons erat. Ibi præsidium ponit, et in alterâ parte fluminis Q. Titurium Sabinum legatum cum sex cohortibus relinquit: castra in altitudinem pedum duodecim vallo fossâque duodeviginti pedum munire jubet.

VI. Ab his castris oppidum Remorum, nomine Bibrax, aberat millia passuum VIII. Id ex itinere magno impetu Belgæ oppugnare cœperunt. Ægre eo die sustentatum est. Gallorum eadem atque Belgarum oppugnatio est hæc. Ubi circumjectâ multitudine hominum totis mœnibus, undique lapides in murum jaci cœpti sunt murusque defensoribus nudatus est, testudine factâ portas succedunt murumque subruunt. Quod tum facile fiebat. Nam quum tanta multitudo lapides ac tela conjicerent, in muro consistendi potestas erat nulli. Quum finem oppugnandi nox fecisset, Iccius Remus, summâ nobilitate et gratiâ inter suos, qui tum oppido præerat, unus ex iis qui legati de pace ad Cæsarem venerant, nuncios ad eum mittit, nisi subsidium sibi submittatur, sese diutius sustinere non posse.

VII. Eo de mediâ nocte Cæsar, iisdem ducibus usus, qui nuncii ab Iccio venerant, Numidas et Cretas sagittarios et funditores Baleares subsidio oppidanis mittit: quorum adventu et Remis cum spe defensionis studium propugnandi accessit, et hostibus eâdem de causâ spes potiundi oppidi discessit. Itaque paullisper apud oppidum morati agrosque Remorum depopulati, omnibus vicis ædificiisque, quos adire poterant, incensis, ad castra Cæsaris omnibus copiis contenderunt, et ab millibus passuum minus II castra posuerunt, quæ castra, ut fumo atque ignibus significabatur, amplius millibus passuum VIII. in latitudinem patebant.

VIII. Cæsar primo et propter multitudinem hostium, et propter eximiam opinionem virtutis, prœlio supersedere statuit; quotidie tamen equestribus prœliis, quid hostis virtute posset, et quid nostri auderent, [solicitationibus] periclitabatur. Ubi nostros non esse inferiores intellexit, loco pro castris ad aciem instruendam naturâ opportuno atque idoneo (quod is collis, ubi castra posita erant, paullulum ex planitie editus, tantum adversus in latitudinem patebat, quantum loci acies instructa occupare poterat, atque ex utrâque parte lateris dejectus habebat, et frontem leniter fastigatus paullatim ad planitiem redibat,) ab utroque latere ejus collis transversam fossam obduxit circiter passuum CD, et ad extremas fossas castella constituit ibique tormenta collocavit, ne, quum aciem instruxisset, hostes, quod tantum multitudine poterant, ab lateribus pugnantes suos circumvenire possent. Hoc facto, duabus legionibus quas proxime conscripserat, in castris relictis, ut si qua opus esset, subsidio duci possent, reliquas sex legiones pro castris in acie constituit. Hostes item suas copias ex castris eductas instruxerant.

IX. Palus erat non magna inter nostrum atque hostium exercitum. Hanc si nostri transirent, hostes exspectabant: nostri autem, si ab illis initium transeundi fieret, ut impeditos aggrederentur parati in armis erant. Interim prœlio equestri inter duas acies contendebatur. Ubi neutri transeundi initium faciunt, secundiore equitum prœlio nostris, Cæsar suos in castra reduxit. Hostes protinus ex eo loco ad flumen Axonam contenderunt, quod esse post nostra castra demonstratum est. Ibi vadis repertis, partem suarum copiarum transducere conati sunt eo consilio, ut si possent castellum, cui præerat Q. Titurius legatus, expugnarent pontemque interscinderent; si minus potuissent, agros Remorum popularentur, qui magno nobis usui ad bellum gerendum erant, commeatuque nostros prohiberent.

X. Cæsar certior factus ab Titurio, omnem equitatum et levis armaturæ Numidas, funditores sagittariosque pontem transducit atque ad eos contendit. Acriter in eo loco pugnatum est. Hostes impeditos nostri in flumine aggressi, magnum eorum numerum occiderunt.

Per eorum corpora reliquos audacissime transire conantes multitudine telorum repulerunt; primos, qui transierant, equitatu circumventos interfecerunt. Hostes ubi et de expugnando oppido et de flumine transeundo spem se fefellisse intellexerunt, neque nostros in locum iniquiorem progredi pugnandi causâ viderunt, atque ipsos res frumentaria deficere cœpit, concilio convocato constituerunt optimum esse, domum suam quemque reverti, et quorum in fines primum Romani exercitum introduxissent, ad eos defendendos undique convenirent; ut potius in suis quam in alienis finibus decertarent et domesticis copiis rei frumentariæ uterentur. Ad eam sententiam cum reliquis causis hæc quoque ratio eos deduxit, quod Divitiacum atque Æduos finibus Bellovacorum appropinquare cognoverant. His persuaderi, ut diutius morarentur neque suis auxilium ferrent, non poterat.

XI. Eâ re constitutâ, secundâ vigiliâ magno cum strepitu ac tumultu castris egressi, nullo certo ordine neque imperio, quum sibi quisque primum itineris locum peteret et domum pervenire properaret, fecerunt, ut consimilis fugæ profectio videretur. Hâc re statim Cæsar per speculatores cognitâ, insidias veritus, quod quâ de causâ discederent, nondum perspexerat, exercitum equitatumque castris continuit. Primâ luce, confirmatâ re ab exploratoribus, omnem equitatum, qui novissimum agmen moraretur, præmisit. His Q. Pedium et L. Aurunculeium Cottam legatos præfecit: T. Labienum legatum cum legionibus tribus subsequi jussit. Hi novissimos adorti et multa millia passuum prosecuti, magnam multitudinem eorum fugientium conciderunt, quum ab extremo agmine, ad quos ventum erat, consisterent fortiterque impetum nostrorum militum sustinerent; priores (quod abesse a periculo viderentur, neque ullâ necessitate neque imperio continerentur), exaudito clamore, perturbatis ordinibus, omnes in fugâ sibi præsidium ponerent. Ita sine ullo periculo tantam eorum multitudinem nostri interfecerunt, quantum fuit diei spatium: sub occasumque solis sequi destiterunt seque in castra, ut erat imperatum, receperunt.

XII. Postridie ejus diei Cæsar, prius quam se hostes ex pavore ac fugâ reciperent, in fines Suessionum, qui proximi Remis erant, exercitum duxit, et magno itinere confecto ad oppidum Noviodunum contendit. Id ex itinere oppugnare conatus, quod vacuum ab defensoribus esse audiebat, propter latitudinem fossæ murique altitudinem, paucis defendentibus, expugnare non potuit. Castris munitis, vineas agere, quæque ad oppugnandum usui erant, comparare cœpit. Interim omnis ex fugâ Suessionum multitudo in oppidum proximâ nocte convenit. Celeriter vineis ad oppidum actis, aggere jacto turribusque constitutis, magnitudine operum, quæ neque viderant ante Galli neque audierant, et celeritate Romanorum permoti, legatos ad Cæsarem de deditione mittunt; et petentibus Remis, ut conservarentur, impetrant.

XIII. Cæsar, obsidibus acceptis primis civitatis atque ipsius Galbæ regis duobus filiis, armisque omnibus ex oppido traditis, in deditionem Suessiones accepit exercitumque in Bellovacos ducit. Qui quum se suaque omnia in oppidum Bratuspantium contulissent, atque ab eo oppido Cæsar cum exercitu circiter millia passuum quinque abesset, omnes majores natu, ex oppido egressi, manus ad Cæsarem tendere et voce significare cæperunt, sese in ejus fidem ac potestatem venire, neque contra populum Romanum armis contendere. Item quum ad oppidum accessisset castraque ibi poneret, pueri mulieresque ex muro passis manibus suo more pacem ab Romanis petierunt.

XIV. Pro his Divitiacus (nam post discessum Belgarum, dimissis Æduorum copiis, ad eum reverterat) facit verba: Bellovacos omni tempore in fide atque amicitiâ civitatis Æduæ fuisse; impulsos ab suis principibus, qui dicerent, Æduos a Cœsare in servitutem redactos omnes indignitates contumeliasque perferre, et ab Æduis defecisse et populo Romano bellum intulisse. Qui hujus consilii principes fuissent, quod intelligerent, quantam calamitatem civitati intulissent, in Britanniam profugisse. Petere non solum Bellovacos, sed etiam pro his Æduos, ut suâ clementiâ ac mansuetudine in eos utatur. Quod si fecerit, Æduorum auc-

toritatem apud omnes Belgas amplificaturum: quorum auxiliis atque opibus, si qua bella inciderint, sustentare consuerint.

XV. Cæsar honoris Divitiaci atque Æduorum causâ sese eos in fidem recepturum et conservaturum dixit: sed quod erat civitas magnâ inter Belgas auctoritate atque hominum multitudine præstabat, DC obsides poposcit. His traditis omnibusque armis ex oppido collatis, ab eo loco in fines Ambianorum pervenit, qui se suaque omnia sine morâ dediderunt. Eorum fines Nervii attingebant: quorum de naturâ moribusque Cæsar quum quæreret, sic reperiebat: Nullum aditum esse ad eos mercatoribus: nihil pati vini reliquarumque rerum ad luxuriam pertinentium inferri: quod iis rebus relanguescere animos eorum et remitti virtutem existimarent; esse homines feros magnæque virtutis: increpitare atque incusare reliquos Belgas, qui se populo Romano dedidissent patriamque virtutem projecissent: confirmare, sese neque legatos missuros, neque ullam conditionem pacis accepturos.

XVI. Quum per eorum fines triduum iter fecisset, inveniebat ex captivis, Sabim flumen ab castris suis non amplius millia passuum decem abesse: trans id flumen omnes Nervios consedisse adventumque ibi Romanorum exspectare, una cum Atrebatibus et Veromanduis, finitimis suis: (nam his utrisque persuaserant, ut eandem belli fortunam experirentur:) exspectari etiam ab his Aduatucorum copias atque esse in itinere: mulieres quique per ætatem ad pugnam inutiles viderentur, in eum locum conjecisse, quo propter paludes exercitui aditus non esset.

XVII. His rebus cognitis, exploratores centurionesque præmittit, qui locum idoneum castris deligant. Quumque ex dedititiis Belgis reliquisque Gallis complures, Cæsarem secuti, una iter facerent, quidam ex his, ut postea ex captivis cognitum est, eorum dierum consuetudine itineris nostri exercitûs perspectâ, nocte ad Nervios pervenerunt atque iis demonstrarunt, inter singulas legiones impedimentorum magnum numerum intercedere, neque esse quidquam negotii, quum prima legio in castra venisset reliquæque legiones magnum

spatium abessent, hanc sub sarcinis adoriri: quâ pulsâ impedimentisque direptis, futurum, ut reliquæ contra consistere non auderent. Adjuvabat etiam eorum consilium, [illegible] deferebant, quod Nervii antiquitus, quum equitatu nihil possent (neque enim ad hoc tempus ei rei student, sed quidquid possunt, pedestribus valent copiis), quo facilius finitimorum equitatum, si prædandi causâ ad eos venisset, impedirent, teneris arboribus incisis atque inflexis crebris in latitudinem ramis enatis, et rubis sentibusque interjectis effecerant, ut instar muri hæ sepes munimenta præberent; quo non modo intrari, sed ne perspici quidem posset. His rebus quum iter agminis nostri impediretur, non omittendum sibi consilium Nervii existimaverunt.

XVIII. Loci natura erat hæc, quem locum nostri castris delegerant. Collis, ab summo æqualiter declivis ad flumen Sabim, quod supra nominavimus, vergebat. Ab eo flumine pari acclivitate collis nascebatur, adversus huic et contrarius, passus circiter ducentos, infimâ apertus, ab superiore parte silvestris, ut non facile introrsus perspici posset. Intra eas silvas hostes in occulto sese continebant: in aperto loco secundum flumen paucæ stationes equitum videbantur. Fluminis erat altitudo pedum circiter trium.

XIX. Cæsar, equitatu præmisso, subsequebatur omnibus copiis: sed ratio ordoque agminis aliter se habebat, ac Belgæ ad Nervios detulerant. Nam quod ad hostes appropinquabat, consuetudine suâ Cæsar sex legiones expeditas ducebat: post eas totius exercitus impedimenta collocarat: inde duæ legiones, quæ proxime conscriptæ erant, totum agmen claudebant præsidioque impedimentis erant. Equites nostri, cum funditoribus sagittariisque flumen transgressi, cum hostium equitatu prœlium commiserunt. Quum se illi identidem in silvas ad suos reciperent, ac rursus ex silvâ in nostros impetum facerent, neque nostri longius quam quem ad finem porrecta loca aperta pertinebant, cedentes insequi auderent, interim legiones sex, quæ primæ venerant, opere dimenso, castra munire cœperunt. Ubi prima impedimenta nostri exercitûs ab his, qui in silvis abditi latebant, visa sunt (quod tempus inter eos

[redacted]




IMAGE EVALUATION
TEST TARGET (MT-3)





committendi prælii convenerat), ita ut intra silvas aciem ordinesque constituerant atque ipsi sese confirmaverant, subito omnibus copiis provolaverunt impetumque in nostros equites fecerunt. His facile pulsis ac proturbatis, incredibili celeritate ad flumen decurrerunt, ut pæne uno tempore et ad silvas et in flumine et jam in manibus nostris hostes viderentur. Eâdem autem celeritate adverso colle ad nostra castra atque eos, qui in opere occupati erant, contenderunt.

XX. Cæsari omnia uno tempore erant agenda: vexillum proponendum, quod erat insigne, quum ad arma concurri oporteret: signum tubâ dandum: ab opere revocandi milites: qui paullo longius aggeris petendi causâ processerant, arcessendi: acies instruenda, milites cohortandi, signum dandum: quarum rerum magnam partem temporis brevitas, et successus et incursus hostium impèdiebat. His difficultatibus duæ res erant subsidio, scientia atque usus militum, quod superioribus præliis exercitati, quid fieri oporteret, non minus commode ipsi sibi præscribere quam ab aliis doceri poterant; et quod ab opere singulisque legionibus singulos legatos Cæsar discedere, nisi munitis castris, vetuerat. Hi propter propinquitatem et celeritatem hostium nihil jam Cæsaris imperium spectabant, sed per se quæ videbantur administrabant.

XXI. Cæsar, necessariis rebus imperatis, ad cohor tandos milites, quam in partem fors obtulit, decurrit, et ad legionem decimam devenit. Milites non longiore oratione cohortatus, quam uti suæ pristinæ virtutis memoriam retinerent, neu perturbarentur animo hostinmque impetum fortiter sustinerent, quod non longius hostes aberant, quam quo telum adjici posset, prælii committendi signum dedit. Atque in alteram partem item cohortandi causâ profectus, pugnantibus occurrit. Temporis tanta fuit exiguitas hostiumque tam paratus ad dimicandum animus, ut non modo ad insignia accommodanda, sed etiam ad galeas inducendas scutisque tegimenta detrahenda tempus defuerit. Quam quisque in partem ab opere casu devenit, quæque prima signa conspexit, ad hæc constitit, ne in quærendis suis pugnandi tempus dimitteret.

XXII. Instructo exercitu, magis ut loci natura dejectusque collis et necessitas temporis, quam ut rei militaris ratio atque ordo postulabat, quum diversis locis legiones, aliæ aliâ in parte, hostibus resisterent, sepibusque densissimis, ut ante demonstravimus, interjectis prospectus impediretur: neque certa subsidia collocari, neque quid in quâque parte opus esset provideri, neque ab uno omnia imperia administrari poterant. Itaque in tantâ rerum iniquitate fortunæ quoque eventus varii sequebantur.

XXIII. Legionis nonæ et decimæ milites, ut sinistrâ parte acie constiterant, pilis emissis, cursu ac lassitudine exanimatos vulneribusque confectos Atrebates, nam his ea pars obvenerat, celeriter ex loco superiore in flumen compulerunt, et transire conantes insecuti gladiis magnam partem eorum impeditam interfecerunt. Ipsi transire flumen non dubitaverunt, et in locum iniquum progressi, rursus regressos ac resistentes hostes redintegrato prœlio in fugam dederunt. Item aliâ in parte diversæ duæ legiones, undecima et octava, profligatis Veromanduis, quibuscum erant congressi, ex loco superiore in ipsis fluminis ripis prœliabantur. At tum totis fere a fronte et ab sinistrâ parte nudatis castris, quum in dextro cornu legio duodecima et non magno ab eâ intervallo septima constitisset, omnes Nervii confertissimo agmine, duce Boduognato, qui summam imperii tenebat, ad eum locum contenderunt: quorum pars aperto latere legiones circumvenire, pars summum locum castrorum petere cœpit.

XXIV. Eodem tempore equites nostri levisque armaturæ pedites, qui cum iis una fuerant, quos primo hostium impetu pulsos dixeram, quum se in castra reciperent, adversis hostibus occurrebant, ac rursus aliam in partem fugam petebant: et calones, qui ab decumanâ portâ ac summo jugo collis nostros victores flumen transisse conspexerant, prædandi causâ egressi, quum respexissent et hostes in nostris castris versari vidissent, præcipites fugæ sese mandabant. Simul eorum, qui cum impedimentis veniebant, clamor fremitusque oriebatur, aliique aliam in partem perterriti ferebantur. Quibus omnibus rebus permoti equites

Treviri, quorum inter Gallos virtutis opinio est singularis, qui auxilii causâ ab civitate missi ad Cæsarem venerant, quum multitudine hostium castra nostra compleri, legiones premi et pæne circumventas teneri, calones, equites, funditores, Numidas, diversos dissipatosque in omnes partes fugere vidissent, desperatis nostris rebus, domum contenderunt: Romanos pulsos superatosque, castris impedimentisque eorum hostes potitos, civitati renunciaverunt.

XXV. Cæsar, ab decimæ legionis cohortatione ad dextrum cornu profectus, ubi suos urgeri signisque in unum locum collatis duodecimæ legionis confertos milites sibi ipsos ad pugnam esse impedimento; quartæ cohortis omnibus centurionibus occisis, signiferoque interfecto, signo amisso, reliquarum cohortium omnibus fere centurionibus aut vulneratis aut occisis, in his primopilo, P. Sextio Baculo, fortissimo viro, multis gravibusque vulneribus confecto, ut jam se sustinere non posset; reliquos esse tardiores; et nonnullos ab novissimis desertos prœlio excedere ac tela vitare; hostes neque a fronte ex inferiore loco subeuntes intermittere, et ab utroque latere instare, et rem esse in angusto vidit, neque ullum esse subsidium, quod submitti posset: scuto ab novissimis uni militi detracto, quod ipse eò sine scuto venerat, in primam aciem processit, centurionibusque nominatim appellatis, reliquos cohortatus milites, signa inferre et manipulos laxare jussit, quo facilius gladiis uti possent. Cujus adventu spe illatâ militibus ac redintegrato animo, quum pro se quisque in conspectu imperatoris et jam in extremis suis rebus operam navare cuperet, paullum hostium impetus tardatus est.

XXVI. Cæsar, quum septimam legionem, quæ juxta constiterat, item urgeri ab hoste vidisset, tribunos militum monuit, ut paullatim sese legiones conjungerent et conversa signa in hostes inferrent. Quo facto, quum alius alii subsidium ferrent, neque timerent, ne aversi ab hoste circumvenirentur, audacius resistere ac fortius pugnare cœperunt. Interim milites legionum duarum, quæ in novissimo agmine præsidio impedimentis fuerant, prœlio nunciato, cursu incitato in sum-

mo colle ab hostibus conspiciebantur. Et T. Labienus, castris hostium potitus et ex loco superiore, quæ res in nostris castris gererentur, conspicatus, decimam legionem subsidio nostris misit. Qui quum ex equitum et calonum fugâ quo in loco res esset quantoque in periculo et castra et legiones et imperator versaretur, cognovissent, nihil ad celeritatem sibi reliqui fecerunt.

XXVII. Horum adventu tanta rerum commutatio est facta, ut nostri, etiam qui vulneribus confecti procubuissent, scutis innixi, prœlium redintegrarent; tum calones, perterritos hostes conspicati, etiam inermes armatis occurrerent; equites vero, ut turpitudinem fugæ virtute delerent, omnibus in locis pugnæ se legionariis militibus præferrent. At hostes etiam in extremâ spe salutis tantam virtutem præstiterunt, ut, quum primi eorum cecidissent, proximi jacentibus insisterent atque ex eorum corporibus pugnarent; his dejectis et coacervatis cadaveribus, qui superessent, ut ex tumulo tela in nostros conjicerent et pila intercepta remitterent: ut non nequidquam tantæ virtutis homines judicari deberet ausos esse transire latissimum flumen, adscendere altissimas ripas, subire iniquissimum locum: quæ facilia ex difficillimis animi magnitudo redegerat.

XXVIII. Hoc prælio facto et prope ad internecionem gente ac nominem Nerviorum redacto, majores natu, quos unâ cum pueris mulieribusque in æstuaria ac paludes collectos dixeramus, hac pugnâ nunciatâ quum victoribus nihil impeditum, victis nihil tutum arbitrarentur, omnium qui supererant consensu legatos ad Cæsarem miserunt seque ei dediderunt, et in commemorandâ civitatis calamitate ex DC ad III senatores ex hominum millibus LX vix ad D, qui arma ferre possent, sese redactos esse dixerunt. Quos Cæsar, ut in miseros ac supplices usus misericordiâ videretur, diligentissime conservavit suisque finibus atque oppidis uti jussit, et finitimis imperavit, ut ab injuriâ et maleficio se suosque prohiberent.

XXIX. Aduatuci, de quibus supra scripsimus, quum omnibus copiis auxilio Nerviis venirent, hâc pugnâ nunciatâ ex itinere domum reverterunt; cunctis oppidis castellisque desertis, sua omnia in unum oppidum,

egregie naturâ munitum contulerunt. Quod quum ex omnibus in circuitu partibus altissimas rupes despectusque haberet, unâ ex parte leniter acclivis aditus, in latitudinem non amplius CC pedum, relinquebatur; quem locum duplici altissimo muro munierant: tum magni ponderis saxa et præacutas trabes in muro collocarant. Ipsi erant ex Cimbris Teutonisque prognati; qui quum iter in provinciam nostram atque Italiam facerent, iis impedimentis, quæ secum agere ac portare non poterant, citra flumen Rhenum depositis, custodiæ ex suis ac præsidio sex millia hominum una reliquerunt. Hi post eorum obitum multos annos a finitimis exagitati, quum alias bellum inferrent, alias illatum defenderent, consensu eorum omnium pace factâ, hunc sibi domicilio locum delegerunt.

XXX. Ac primo adventu exercitûs nostri crebras ex oppido excursiones faciebant parvulisque prœliis cum nostris contendebant; postea vallo pedum XII, in circuitu XV. millium, crebrisque castellis circummuniti, oppido sese continebant. Ubi vineis actis, aggere exstructo, turrim procul constitui viderunt, primum irridere ex muro atque increpitare vocibus, quo tanta machinatio ab tanto spatio institueretur? quibusnam manibus aut quibus viribus, præsertim homines tantulæ staturæ (nam plerumque hominibus Gallis præ magnitudine corporum suorum brevitas nostra contemtui est) tanti oneris turrim in muros sese collocare confiderent?

XXXI. Ubi vero moveri et appropinquare mœnibus viderunt, novâ atque inusitatâ specie commoti, legatos ad Cœsarem de pace miserunt, qui ad hunc modum locuti; non se existimare, Romanos sine ope divinâ bellum gerere, qui tantæ altitudinis machinationes tantâ celeritate promovere et ex propinquitate pugnare possent: se suaque omnia eorum potestati permittere dixerunt. Unum petere ac deprecari: si forte, pro suâ clementiâ ac mansuetudine, quam ipsi ab aliis audirent, statuisset Aduatucos esse conservandos, ne se armis despoliaret; sibi omnes fere finitimos esse inimicos ac suæ virtuti invidere; a quibus se defendere, traditis armis, non possent. Sibi præstare, si in eum casum deducerentur, quamvis fortunam a populo Romano pati,

quam ab his per cruciatum interfici, inter quos dominari consuessent.

XXXII. Ad hæc Cæsar respondit: se magis consuetudine suâ quam merito eorum civitatem conservaturum, si prius quam aries murum attigisset, se dedidissent: sed deditionis nullam esse conditionem, nisi armis traditis: se id, quod in Nerviis fecisset, facturum finitimisque imperaturum, ne quam dedititiis populi Romani injuriam inferrent. Re nunciatâ ad suos, quæ imperarentur, facere dixerunt. Armorum magnâ multitudine de muro in fossam, quæ erat ante oppidum jactâ, sic ut prope summam muri aggerisque altitudinem acervi armorum adæquarent, et tamen circiter parte tertiâ ut postea perspectum est, celatâ atque in oppido retentâ, portis patefactis, eo die pace sunt usi.

XXXIII. Sub vesperum Cæsar portas claudi militesque ex oppido exire jussit, ne quam noctu oppidani ab militibus injuriam acciperent. Illi ante inito, ut intellectum est, consilio, quod deditione factâ nostros præsidia deducturos, aut denique indiligentius servaturos crediderant, partim cum his quæ retinuerant et celaverant armis, partim scutis ex cortice factis aut viminibus intextis, quæ subito, ut temporis exiguitas postulabat, pellibus induxerant, tertiâ vigiliâ, qua minime arduus ad nostras munitiones adscensus videbatur, omnibus copiis repente ex oppido eruptionem fecerunt. Celeriter, ut ante Cæsar imperarat, ignibus significatione factâ, ex proximis castellis eô concursum est, pugnatumque ab hostibus ita acriter, ut a viris fortibus in extremâ spe salutis, iniquo loco, contra eos, qui ex vallo turribusque tela jacerent, pugnari debuit, quum in unâ virtute omnis spes salutis consisteret. Occisis ad hominum millibus quatuor, reliqui in oppidum rejecti sunt. Postridie ejus diei, refractis portis quum jam defenderet nemo, atque intromissis militibus nostris, sectionem ejus oppidi universam Cæsar vendidit. Ab his, qui emerant, capitum numerus ad eum relatus est millium LIII.

XXXIV. Eodem tempore a P. Crasso, quem cum legione unâ miserat ad Venetos, Unellos, Osismios, Curiosolitas, Sesuvios Aulercos, Rhedones, quæ sunt

maritimæ civitates Oceanumque attingunt certior factus est, omnes eas civitates in ditionem potestatemque populi Romani esse redactas.

XXXV. His rebus gestis omni Galliâ pacatâ, tanta hujus belli ad barbaros opinio perlata est, uti ab his nationibus, quæ trans Rhenum incolerent, mitterentur legati ad Cæsarem, quæ se obsides daturas, imperata facturas pollicerentur: quas legationes Cæsar, quod in Italiam Illyricumque properabat, initâ proximâ æstate ad se reverti jussit. Ipse in Carnutes, Andes, Turonesque, quæ civitates propinquæ his locis erant, ubi bellum gesserat, legionibus in hiberna deductis, in Italiam profectus est, ob easque res ex literis Cæsaris dies XV supplicatio decreta est, quod ante id tempus accidit nulli.

LIBER TERTIUS.

Hiberna Servii Galbæ in Veragris et Nantuatibus cap. 1. *Motus Gallorum* 2. *Periculum Romanæ legionis. Victoria. Iter in Provinciam* 3-6. *Novum bellum in Armorica auctoribus Venetis conflatum. Apparatus ad id bellum* 7—11. *Situs Venetorum et armatûra classis* 12, 13. *Prœlium navale, clades Venetorum* 14—16. *Iter Q. Titurii in Unellos. Castra* 17. *Unelli ratione et consilio superati* 18, 19. *Sotiates a P. Crasso victi. Soldurii* 20—22. *Deditio maximæ partis Aquitaniæ* 23—27. *Iter Cæsaris ad Morinos et Menapios. Receptus Morinorum in silvas. Impetus in Romanos* 28. *Consilia Cæsaris tempestatibus impedita. Hiberna* 29.

Quum in Italiam proficisceretur Cæsar, Servium Galbam cum legione duodecimâ et parte equitatûs in Nantuates, Veragros, Sedunosque misit, qui ab finibus Allobrogum et lacu Lemanno et flumine Rhodano ad summas Alpes pertinent. Causa mittendi fuit, quod iter per Alpes, quo magno cum periculo magnisque cum portoriis mercatores ire consuerant, patefieri volebat.

Huic permisit, si opus esse arbitraretur, uti in eis locis legionem hiemandi causâ collocaret. Galba, secundis aliquot prœliis factis castellisque compluribus eorum expugnatis, missis ad eum undique legatis, obsidibusque datis et pace factâ, constituit cohortes duas in Nantuatibus collocare, et ipse cum reliquis ejus legionis cohortibus in vico Veragrorum, qui appellatur Octodurus, hiemare: qui vicus, positus in valle, non magnâ adjectâ planicie, altissimis montibus undique continetur. Quum hic in duas partes flumine divideretur, alteram partem ejus vici Gallis concessit, alteram, vacuam ab illis relictam, cohortibus ad hiemandum attribuit. Eum locum vallo fossâque munivit.

II. Quum dies hibernorum complures transissent, frumentumque eo comportari jussisset, subito per exploratores certior factus est, ex eâ parte vici, quam Gallis concesserat, omnes noctu discessisse, montesque, qui impenderent, a maximâ multitudine Sedunorum et Veragrorum teneri. Id aliquot de causis acciderat, ut subito Galli belli renovandi legionisque opprimendæ consilium caperent: primum, quod legionem, neque eam plenissimam, detractis cohortibus duabus et compluribus singillatim, qui commeatus petendi causâ missi erant, absentibus, propter paucitatem despiciebant: tum etiam, quod propter iniquitatem loci, quum ipsi ex montibus in vallem decurrerent et tela conjicerent, ne primum quidem posse impetum suum sustineri existimabant. Accedebat, quod suos ab se liberos abstractos obsidum nomine dolebant: et Romanos non solum itinerum causâ sed etiam perpetuæ possessionis, culmina Alpium occupare conari et ea loca finitimæ provinciæ adjungere, sibi persuasum habebant.

III. His nunciis acceptis, Galba, quum neque opus hibernorum munitionesque plene essent perfectæ, neque de frumento reliquoque commeatu satis esset provisum, quod deditione factâ obsidibusque acceptis nihil de bello timendum existimaverat, consilio celeriter convocato, sententias exquirere cœpit. Quo in consilio, quum tantum repentini periculi præter opinionem accidisset, ac jam omnia fere superiora loca multitudine armatorum completa conspicerentur, neque subsidio veniri, neque

commeatus supportari interclusis itineribus possent, prope jam desperatâ salute, nonnullæ hujusmodi sententiæ dicebantur, ut impedimentis relictis, eruptione factâ, iisdem itineribus quibus eo pervenissent, ad salutem contenderent. Majori tamen parti placuit, hoc reservato ad extremum consilio, interim rei eventum experiri, et castra defendere.

IV. Brevi spatio interjecto, vix ut his rebus, quas constituissent, collocandis atque administrandis tempus daretur, hostes ex omnibus partibus, signo dato, decurrere, lapides gæsaque in vallum conjicere: nostri primo integris viribus fortiter repugnare, neque ullum frustra telum ex loco superiore mittere: ut quæque pars castrorum nudata defensoribus premi videbatur, eo occurrere et auxilium ferre: sed hoc superari, quod diuturnitate pugnæ hostes defessi prælio excedebant, alii integris viribus succedebant: quarum rerum a nostris propter paucitatem fieri nihil poterat, ac non modo defesso ex pugna excedendi, sed ne saucio quidem ejus loci, ubi constiterat, relinquendi ac sui recipiendi facultas dabatur.

V. Quum jam amplius horis sex continenter pugnâretur, ac non solum vires, sed etiam tela nostris deficerent atque hostes acrius instarent, languidioribusque nostris vallum scindere et fossas complere cœpissent, resque esset jam ad extremum perducta casum, P. Sextius Baculus, primipili centurio, quem Nervico prœlio compluribus confectum vulneribus diximus, et item C. Volusenus, tribunus militum, vir et consilii magni et virtutis, ad Galbam accurrunt, atque unam esse spem salutis docent, si eruptione factâ extremum auxilium experirentur. Itaque convocatis centurionibus, celeriter milites certiores facit, paullisper intermitterent prœlium, ac tantummodo tela missa exciperent seque ex labore reficerent: post dato signo ex castris erumperent atque omnem spem salutis in virtute ponerent.

VI. Quod jussi sunt faciunt, ac subito omnibus portis eruptione factâ neque cognoscendi, quid fieret, neque sui colligendi hostibus facultatem relinquunt. Ita commutatâ fortunâ, eos, qui in spem potiundorum cas-

trorum venerant, undique circumventos interficiunt, et ex hominum millibus amplius triginta, quem numerum barbarorum ad castra venisse constabat, plus tertiâ parte interfectâ, reliquos perterritos in fugam conjiciunt, ac ne in locis quidem superioribus consistere patiuntur. Sic omnium hostium copiis fusis armisque exutis, se in castra munitionesque suas recipiunt. Quo prœlio facto, quod sæpius fortunam tentare Galba nolebat atque alio sese in hiberna consilio venisse meminerat, aliis occurrisse rebus viderat, maxime frumenti commeatûsque inopiâ permotus, postero die omnibus ejus vici ædificiis incensis, in provinciam reverti contendit: ac nullo hoste prohibente, aut iter demorante, incolumem legionem in Nantuates, inde in Allobrogas perduxit ibique hiemavit.

VII. His rebus gestis, quum omnibus de causis Cæsar pacatam Galliam existimaret, superatis Belgis, expulsis Germanis, victis in Alpibus Sedunis, atque ita initâ hieme in Illyricum profectus esset, quod eas quoque nationes adire et regiones cognoscere volebat, subitum bellum in Galliâ coortum est. Ejus belli hæc fuit causa. P. Crassus adolescens cum legione septimâ proximus mare Oceanum in Andibus hiemarat. Is, quod in his locis inopia frumenti erat, præfectos tribunosque militum complures in finitimas civitates frumenti commeatûsque petendi causâ dimisit: quo in numero erat T. Terrasidius, missus in Unellos, M. Trebius Gallus in Curiosolitas, Q. Velanius cum T. Silio in Venetos.

VIII. Hujus civitatis est longe amplissima auctoritas omnis oræ maritimæ regionum earum, quod et naves habent Veneti plurimas, quibus in Britanniam navigare consuerunt, et scientiâ atque usu nauticarum rerum reliquos antecedunt, et in magno impetu maris atque aperto, paucis portibus interjectis, quos tenent ipsi, omnes fere, qui eo mari uti consuerunt, habent vectigales. Ab iis fuit initium retinendi Silii atque Velanii, quod per eos suos se obsides, quos Crasso dedissent, recuperaturos existimabant. Horum auctoritate finitimi adducti (ut sunt Gallorum subita et repentina consilia) eâdem de causâ Trebium Terrasidiumque retinent, et celeriter missis legatis per suos principes inter se conju-

rant, nihil nisi communi consilio acturos eundemque omnis fortunæ exitum esse laturos: reliquasque civitates sollicitant, ut in eâ libertate, quam a majoribus acceperant, permanere quam Romanorum servitutem perferre mallent. Omni orâ maritimâ celeriter ad suam sententiam perductâ, communem legationem ad P. Crassum mittunt: si velit suos recipere, obsides sibi remittat.

IX. Quibus de rebus Cæsar ab Crasso certior factus, quod ipse aberat longius, naves interim longas ædificari in flumine Ligeri, quod influit in Oceanum, remiges ex provinciâ institui, nautas gubernatoresque comparari jubet. His rebus celeriter administratis, ipse quum primum per anni tempus potuit, ad exercitum contendit. Veneti reliquæque item civitates, cognito Cæsaris adventu, simul quod quantum in se facinus admisissent, intelligebant, (legatos, quod nomen apud omnes nationes sanctum inviolatumque semper fuisset, retentos ab se et in vincula conjectos) pro magnitudine periculi bellum parare et maxime ea, quæ ad usum navium pertinent, providere instituunt; hoc majore spe, quod multum naturâ loci confidebant. Pedestria esse itinera concisa æstuariis, navigationem impeditam propter inscientiam locorum paucitatemque portuum sciebant: neque nostros exercitus propter frumenti inopiam diutius apud se morari posse confidebant: ac jam ut omnia contra opinionem acciderent, tamen se plurimum navibus posse; Romanos neque ullam facultatem habere navium, neque eorum locorum, ubi bellum gesturi essent, vada, portus insulasque novisse: ac longe aliam esse navigationem in concluso mari atque in vastissimo atque apertissimo Oceano perspiciebant. His initis consiliis, oppida muniunt, frumenta ex agris in oppida comportant, naves in Venetiam, ubi Cæsarem primum bellum gesturum constabat, quam plurimas possunt, cogunt. Socios sibi ad id bellum Osismios, Lexovios, Nannetes, Ambiliatos, Morinos, Diablintes, Menapios adsciscunt: auxilia ex Britanniâ, quæ contra eas regiones posita est, arcessunt.

X. Erant hæ difficultates belli gerendi, quas supra ostendimus; sed multa Cæsarem tamen ad id bellum incitabant: injuriæ retentorum equitum Romanorum;

rebellio facta post deditionem; defectio datis obsidibus; tot civitatum conjuratio; in primis, ne hâc parte neglectâ reliquæ nationes idem sibi licere arbitrarentur. Itaque quum intelligeret omnes fere Gallos novis rebus studere et ad bellum mobiliter celeriterque excitari, omnes autem homines naturâ libertati studere et conditionem servitutis odisse, prius quam plures civitates conspirarent, partiendum sibi ac latius distribuendum exercitum putavit.

XI. Itaque T. Labienum legatum in Treviros, qui proximi Rheno flumini sunt, cum equitatu mittit. Huic mandat, Remos reliquosque Belgas adeat atque in officio contineat, Germanosque, qui auxilio a Belgis arcessiti dicebantur, si per vim navibus flumen transire conentur, prohibeat. P. Crassum cum cohortibus legionariis duodecim et magno numero equitatûs in Aquitaniam proficisci jubet, ne ex his nationibus auxilia in Galliam mittantur ac tantæ nationes conjungantur. Q. Titurium Sabinum legatum cum legionibus tribus in Unellos, Curiosolitas, Lexoviosque mittit, qui eam manum distinendam curet. D. Brutum adolescentem classi Gallicisque navibus, quas ex Pictonibus et Santonis reliquisque pacatis regionibus convenire jusserat, præficit, et quum primum possit, in Venetos proficisci jubet. Ipse eo pedestribus copiis contendit.

XII. Erant ejusmodi fere situs oppidorum, ut posita in extremis lingulis promontoriisque, neque pedibus aditum haberent, quum ex alto se æstus incitavisset, quod bis accidit semper horarum XII spatio, neque navibus, quod rursus minuente æstu, naves in vadis adflictarentur. Ita utrâque re oppidorum oppugnatio impediebatur; ac si quando magnitudine operis forte superati, extruso mari aggere ac molibus, atque his ferme oppidi mœnibus adæquatis, suis fortunis desperare cœperant, magno numero navium appulso, cujus rei summam facultatem habebant, sua deportabant omnia seque in proxima oppida recipiebant. Ibi se rursus iisdem opportunitatibus loci defendebant. Hæc eo facilius magnam partem æstatis faciebant, quod nostræ naves tempestatibus detinebantur, summaque erat vasto atque aperto mari, magnis æstibus, raris ac prope nullis portibus, difficultas navigandi.

XIII. Namque ipsorum naves ad hunc modum factæ armatæque erant. Carinæ aliquanto planiores, quam nostrarum navium, quo facilius vada ac decessum æstûs excipere possent: proræ admodum erectæ atque item puppes, ad magnitudinem fluctuum tempestatumque accomodatæ; naves totæ factæ ex robore, ad quamvis vim et contumeliam perferendam; transtra pedalibus in latitudinem trabibus confixa clavis ferreis, digiti pollicis crassitudine; ancoræ, pro funibus, ferreis catenis revinctæ; pelles pro velis, alutæque tenuiter confectæ, sive propter lini inopiam atque ejus usûs inscientiam, sive eo, quod est magis verisimile, quod tantas tempestates Oceani tantosque impetus ventorum sustineri, ac tanta onera navium regi velis non satis commode arbitrabantur. Cum his navibus nostræ classi ejusmodi congressus erat, ut unâ celeritate et pulsu remorum præstaret, reliqua, pro loci naturâ, pro vi tempestatum, illis essent aptiora et accomodatiora; neque enim his nostræ rostro nocere poterant; tanta in eis erat firmitudo: neque propter altitudinem facile telum adjiciebatur, et eâdem de causâ minus commode copulis continebantur. Accedebat ut, quum sævire ventus cœpisset et se vento dedissent, et tempestatem ferrent facilius, et in vadis consisterent tutius, et ab æstu derelictæ, nihil saxa et cautes timerent: quarum rerum omnium nostris navibus casus erant extimescendi.

XIV. Compluribus expugnatis oppidis, Cæsar ubi intellexit, frustra tantum laborem sumi, neque hostium fugam captis oppidis reprimi, neque his noceri posse, statuit exspectandam classem. Quæ ubi convenit ac primum ab hostibus visa est: circiter CCXX naves eorum paratissimæ atque omni genere armorum ornatissimæ, profectæ ex portu nostris adversæ constiterunt; neque satis Bruto, qui classi præerat, vel tribunis militum centurionibusque, quibus singulæ naves erant attributæ, constabat, quid agerent aut quam rationem pugnæ insisterent. Rostro enim noceri non posse cognoverant; turribus autem excitatis, tamen has altitudo puppium ex barbaris navibus superabat, ut neque ex inferiore loco satis commode tela adjiici possent, et missa ab Gallis gravius acciderent. Una erat magno usui

res præparata a nostris, falces præacutæ, insertæ affixæque longuriis, non absimili formâ muralium falcium. His quum funes, qui antennas ad malos destinabant, comprehensi adductique erant, navigio remis incitato prærumpebantur. Quibus abscissis, antennæ necessario concidebant, ut, quum omnis Gallicis navibus spes in velis armamentisque consisteret, his ereptis omnis usus navium uno tempore eriperetur. Reliquum erat certamen positum in virtute, quâ nostri milites facile superabant, atque eo magis, quod in conspectu Cæsaris atque omnis exercitûs res gerebatur, ut nullum paullo fortius factum latere posset; omnes enim colles ac loca superiora, unde erat propinquus despectus in mare, ab exercitu tenebantur.

XV. Dejectis, ut diximus, antennis, quum singulas binæ ac ternæ naves circumsteterant, milites summâ vi transcendere in hostium naves contendebant. Quod postquam barbari fieri animadverterunt expugnatis compluribus navibus quum ei rei nullum reperiretur auxilium, fugâ salutem petere contenderunt; ac jam conversis in eam partem navibus, quo ventus ferebat, tanta subito malacia ac tranquillitas exstitit, ut se ex loco movere non possent. Quæ quidem res ad negotium conficiendum maxime fuit opportuna; nam singulas nostri consectati expugnaverunt, ut perpaucæ ex omni numero, noctis interventu, ad terram pervenerint, quum ab horâ fere quartâ usque ad solis occasum pugnaretur.

XVI Quo prælio bellum Venetorum totiusque oræ maritimaæ confectum est. Nam, quum omnis juventus, omnes etiam gravioris ætatis, in quibus aliquid consilii aut dignitatis fuit, eo convenerant, tum navium quod ubique fuerat, in unum locum coëgerant; quibus amissis, reliqui neque quo se reciperent, neque quemdmodum oppida defenderent, habebant. Itaque se suaque omnia Cæsari dediderunt. In quos eo gravius Cæsar vindicandum statuit, quo diligentius in reliquum tempus a barbaris jus legatorum conservaretur. Itaque, omni senatu necato, reliquos sub coronâ vendidit.

XVII. Dum hæc in Venetis geruntur, Q. Titurius Sabinus cum iis copiis, quas a Cæsare acceperat, in fines Unellorum pervenit. His præerat Viridovix, ac

summam imperii tenebat earum omnium civitatum, quæ defecerant, ex quibus exercitum magnasque copias coëgerat. Atque his paucis diebus Aulerci Eburovices Lexoviique, senatu suo interfecto, quod auctores belli esse nolebant, portas clauserunt seque cum Viridovice conjunxerunt; magnaque præterea multitudo undique ex Galliâ perditorum hominum latronumque convenerant, quos spes prædandi studiumqe bellandi ab agriculturâ et quotidiano labore revocabat. Sabinus idoneo omnibus rebus loco castris sese tenebat, quum Viridovix contra eum duum millium spatio consedisset, quotidieque productis copiis pugnandi potestatem faceret; ut jam non solum hostibus in contemtionem Sabinus veniret, sed etiam nostrorum militum vocibus non nihil carperetur: tantamque opinionem timoris præbuit, ut jam ad vallum castrorum hostes accedere auderent. Id eâ de causâ faciebat, quod cum tantâ multitudine hostium, præsertim eo absente, qui summam imperii teneret, nisi æquo loco aut opportunitate aliquâ datâ, legato dimicandum non existimabat.

XVIII. Hâc confirmatâ opinione timoris, idoneum quendam hominem et callidum delegit, Gallum ex his, quos auxilii causâ secum habebat. Huic magnis præmiis pollicitationibusque persuadet, uti ad hostes transeat, et quid fieri velit, edocet. Qui ubi pro perfugâ ad eos venit, timorem Romanorum proponit: quibus angustiis ipse Cæsar a Venetis prematur, docet: neque longius abesse, quin proximâ nocte Sabinus clam ex castris exercitum educat et ad Cæsarem auxilii ferendi causâ proficiscatur. Quod ubi auditum est, conclamant omnes occasionem negotii bene gerendi amittendam non esse, ad castra iri oportere. Multæ res ad hoc consilium Gallos hortabantur: superiorum dierum Sabini cunctatio, perfugæ confirmatio, inopia cibariorum cui rei parum diligenter ab iis erat provisum, spes Venetici belli, et quod fere libenter homines id, quod volunt, credunt. His rebus adducti, non prius Viridovicem reliquosque duces ex concilio dimittunt, quam ab his sit concessum, arma uti capiant et ad castra contendant. Quâ re concessâ, læti, ut exploratâ vic-

toriâ, sarmentis virgultisque collectis, quibus fossas Romanorum compleant, ad castra pergunt.

XIX. Locus erat castrorum editus et paullatim ab imo acclivis, circiter passus mille. Huc magno cursu contenderunt, ut quam minimum spatii ad se colligendos armandosque Romanis daretur, exanimatique pervenerunt. Sabinus, suos hortatus, cupientibus signum dat. Impeditis hostibus propter ea quæ ferebant onera, subito duabus portis eruptionem fieri jubet. Factum est opportunitate loci, hostium inscientiâ ac defatigatione, virtute militum, superiorum pugnarum exercitatione, ut ne unum quidem nostrorum impetum ferrent ac statim terga verterent. Quos impeditos integris viribus milites nostri consecuti, magnum numerum eorum occiderunt; reliquos equites consectati, paucos, qui ex fugâ evaserant, reliquerunt. Sic uno tempore et de navali pugnâ Sabinus, et de Sabini victoriâ Cæsar certior factus, civitatesque omnes se statim Titurio dediderunt. Nam ut ad bella suscipienda Gallorum alacer ac promptus est animus, sic mollis ac minime resistens ad calamitates perferendas mens eorum est.

XX. Eodem fere tempore P. Crassus, quum in Aquitaniam pervenisset, quæ pars, ut ante dictum est, et regionum latitudine et multitudine hominum ex tertiâ parte Galliæ est æstimanda, quum intelligeret in his locis sibi bellum gerendum, ubi paucis ante annis L. Valerius Præconinus Legatus exercitu pulso interfectus esset, atque unde L Manilius Proconsul impedimentis amissis profugisset, non mediocrem sibi diligentiam adhibendam intelligebat. Itaque re frumentariâ provisâ, auxiliis equitatuque comparato, multis præterea viris fortibus Tolosâ, Carcasone et Narbone, quæ sunt civitates Galliæ provinciæ, finitimæ his regionibus, nominatim evocatis, in Sotiatium fines exercitum introduxit. Cujus adventu cognito, Sotiates, magnis copiis coactis equitatuque, quo plurimum valebant, in itinere agmen nostrum adorti, primum equestre prœlium commiserunt: deinde, equitatu suo pulso atque insequentibus nostris, subito pedestres copias, quas in convalle ex insidiis collocaverant, ostenderunt. Hi nostros disjectos adorti, prœlium renovaverunt.

XXI. Pugnatum est diu atque acriter, quum Sotiates, superioribus victoriis freti, in suâ virtute totius Aquitaniæ salutem positam putarent; nostri autem, quid sine imperatore et sine reliquis legionibus, adolescentulo duce efficere possent, perspici cuperent: tandem confecti vulneribus hostes terga vertere. Quorum magno numero interfecto, Crassus ex itinere oppidum Sotiatium oppugnare cœpit. Quibus fortiter resistentibus, vineas turresque egit. Illi, alias eruptione tentatâ, alias cuniculis ad aggerem vineasque actis, (cujus rei sunt longe peritissimi Aquitani, propterea quod multis locis apud eos ærariæ secturæ sunt,) ubi diligentiâ nostrorum nihil his rebus profici posse intellexerunt, legatos ad Crassum mittunt, seque in deditionem ut recipiat, petunt. Quâ re impetratâ, arma tradere jussi, faciunt.

XXII. Atque in eâ re omnium nostrorum intentis animis, aliâ ex parte oppidi Adcantuannus, qui summam imperii tenebat, cum sexcentis devotis, quos illi Soldurios appellant, (quorum hæc est conditio, uti omnibus in vitâ commodis una cum his fruantur, quorum se amicitiæ dediderint: si quid iis per vim accidat, aut eundem casum una ferant, aut sibi mortem consciscant: neque adhuc hominum memoriâ repertus est quisquam, qui eo interfecto, cujus se amicitiæ devovisset, mortem recusaret;) cum iis Adcantuannus, eruptionem facere conatus, clamore ab eâ parte munitionis sublato, quum ad arma milites concurrissent vehementerque ibi pugnatum esset, repulsus in oppidum, tamen uti eâdem deditionis conditione uteretur, a Crasso impetravit.

XXIII. Armis obsidibusque acceptis, Crassus in fines Vocatium et Tarusatium profectus est. Tum vero barbari commoti, quod oppidum et naturâ loci et manu munitum, paucis diebus quibus eo ventum erat, expugnatum cognoverant, legatos quoquoversus dimittere, conjurare, obsides inter se dare, copias parare cœperunt. Mittuntur etiam ad eas civitates legati, quæ sunt citerioris Hispaniæ, finitimæ Aquitaniæ: inde auxilia ducesque arcessuntur. Quorum adventu magnâ cum auctoritate et magnâ cum hominum multitudine

bellum gerere conantur. Duces vero ii deliguntur, qui una cum Q. Sertorio omnes annos fuerant, summamque scientiam rei militaris habere existimabantur. Hi consuetudine populi Romani loca capere, castra munire, commeatibus nostros intercludere instituunt. Quod ubi Crassus animadvertit, suas copias propter exiguitatem non facile diduci; hostem et vagari et vias obsidere et castris satis præsidii relinquere; ob eam causam minus commode frumentum commeatumque sibi supportari; in dies hostium numerum augeri; non cunctandum existimavit, quin pugnâ decertaret. Hâc re ad consilium delatâ, ubi omnes idem sentire intellexit, posterum diem pugnæ constituit.

XXIV. Primâ luce, productis omnibus copiis, duplici acie institutâ, auxiliis in mediam aciem conjectis, quid hostes consilii caperent, exspectabat. Illi etsi propter multitudinem et veterem belli gloriam paucitatemque nostrorum se tuto dimicaturos existimabant, tamen tutius esse arbitrabantur, obsessis viis, commeatu intercluso, sine ullo vulnere victoriâ potiri: et si propter inopiam rei frumentariæ Romani sese recipere cœpissent, impeditos in agmine et sub sarcinis, inferiores animo, adoriri cogitabant. Hoc consilio probato ab ducibus, productis Romanorum copiis, sese castris tenebant. Hâc re perspectâ Crassus, quum suâ cunctatione atque opinione timidiores hostes nostros milites alacriores ad pugnandum effecissent, atque omnium voces audirentur, exspectari diutius non oportere, quin ad castra iretur, cohortatus suos, omnibus cupientibus, ad hostium castra contendit.

XXV. Ibi quum alii fossas complerent, alii multis telis conjectis defensores vallo munitionibusque depellerent, auxiliaresque, quibus ad pugnam non multum Crassus confidebat, lapidibus telisque subministrandis et ad aggerem cespitibus comportandis, speciem atque opinionem pugnantium præberent; quum item ab hostibus constanter ac non timide pugnaretur, telaque ex loco superiore missa non frustra acciderent: equites, circumitis hostium castris, Crasso renunciaverunt, non eâdem esse diligentiâ ab decumanâ portâ castra munita facilemque aditum habere.

XXVI. Crassus equitum præfectos cohortatus, ut magnis præmiis pollicitationibusque suos excitarent, quid fieri velit, ostendit. Illi, ut erat imperatum, eductis quatuor cohortibus, quæ præsidio castris relictæ, intritæ ab labore erant, et longiore itinere circumductis, ne ex hostium castris conspici possent, omnium oculis mentibusque ad pugnam intentis, celeriter ad eas, quas diximus, munitiones pervenerunt; atque his proruatis, prius in hostium castris constiterunt, quam plane ab iis videri aut quid rei gereretur cognosci posset. Tum vero, clamore ab eâ parte audito, nostri redintegratis viribus, quod plerumque in spe victoriæ accidere consuevit, acrius impugnare cœperunt. Hostes undique circumventi, desperatis omnibus rebus, se per munitiones dejicere et fugâ salutem petere intenderunt. Quos equitatus apertissimis campis consectatus, ex millium quinquaginta numero, quæ ex Aquitaniâ Cantabrisque convenisse constabat, vix quartâ parte relictâ, multâ nocte se in castra recepit.

XXVII. Hâc auditâ pugnâ, magna pars Aquitaniæ sese Crasso dedidit obsidesque ultro misit: quo in numero fuerunt Tarbelli, Bigerriones, Preciani, Vocates, Tarusates, Elusates, Garites, Ausci, Garumni, Sibuzates, Cocosates. Paucœ ultimæ nationes, anni tempore confisæ, quod hiems suberat, hoc facere neglexerunt.

XXVIII. Eodem fere tempore Cæsar, etsi prope exacta jam æstas erat, tamen, quod omni Galliâ pacatâ Morini Menapiique supererant, qui in armis essent, neque ad eum umquam legatos de pace misissent, arbitratus id bellum celeriter confici posse, eo exercitum adduxit: qui longe aliâ ratione ac reliqui Galli bellum agere instituerunt. Nam quod intelligebant maximas nationes, quæ prælio contendissent, pulsas superatasque esse, continentesque silvas ac paludes habebant, eo se suaque omnia contulerunt. Ad quarum initium silvarum quum Cæsar pervenisset castraque munire instituisset, neque hostis interim visus esset, dispersis in opere nostris, subito ex omnibus partibus silvæ evolaverunt et in nostros impetum fecerunt. Nostri celeriter arma ceperunt eosque in silvas repulerunt, et compluribus interfectis, longius impeditioribus locis secuti, paucos ex suis deperdiderunt.

XXIX. Reliquis deinceps diebus Cæsar silvas cædere instituit, et ne quis inermibus imprudentibusque militibus ab latere impetus fieri posset, omnem eam materiam, quæ erat cæsa, conversam ad hostem collocabat et pro vallo ad utrumque latus exstruebat. Incredibili celeritate magno spatio paucis diebus confecto, quum jam pecus atque extrema impedimenta ab nostris tenerentur, ipsi densiores silvas peterent, ejusmodi tempestates sunt consecutæ, uti opus necessario intermitteretur et continuatione imbrium diutius sub pellibus milites contineri non possent. Itaque vastatis omnibus eorum agris, vicis ædificiisque incensis, Cæsar exercitum reduxit et in Aulercis Lexoviisque, reliquis item civitatibus, quæ proxime bellum fecerant, in hibernis collocavit.

LIBER QUARTUS.

Transitus Usipetum et Tenchtherorum in Galliam. Mores Suevorum cap. 1—3. *Menapii oppressi* 4. *Bellum contra Germanos a Cæsare susceptum* 5. 6. *Legatio Germanorum ad Cæsarem* 7—9. *Mosæ et Rheni descriptio* 10. *Perfidia Germanorum; clades, fuga* 11—15. *Pons in Rheno stratus* 16. 17. *Adventus Cæsaris in Sigambris. Receptus in Galliam* 18. 19. *Consilium Cæsaris proficiscendi in Britanniam. C. Volusenus ad cognoscendum præmissus* 20. 21. *Morini pacati. Trajectus in insulam. Fuga Britannorum. Deditio* 22—27. *Classis Romana tempestate adflicta* 28. 29. *Defectio Britannorum; pugna ex essedis. Ultio de Britannis. Reditus Cæsaris in Galliam* 30—36. *Perfidia Morinorum* 37. *Menapii depopulationibus vexati. Supplicatio Cæsari Romæ decreta* 38.

Eâ quæ secuta est hieme, qui fuit annus Cn. Pompeio, M. Crasso Coss. Usipetes Germani et item Tenchtheri magnâ cum multitudine hominum flumen Rhenum transierunt, non longe a mari, quo Rhenus

influit. Causa transeundi fuit, quod ab Suevis complures annos exagitati bello premebantur et agriculturâ prohibebantur. Suevorum gens est longe maxima et bellicosissima Germanorum omnium. Hi centum pagos habere dicuntur, ex quibus quotannis singula millia armatorum bellandi causâ ex finibus educunt. Reliqui, qui domi manserint, se atque illos alunt. Hi rursus invicem anno post in armis sunt; illi domi remanent. Sic neque agricultura, nec ratio atque usus belli intermittitur. Sed privati ac separati agri apud eos nihil est; neque longius anno remanere uno in loco incolendi causâ licet. Neque multum frumento, sed maximam partem lacte atque pecore vivunt, multumque sunt in venationibus: quæ res et cibi genere et quotidianâ exercitatione et libertate vitæ (quod a pueris nullo officio aut disciplinâ adsuefacti, nihil omnino contra voluntatem faciant) et vires alit, et immani corporum magnitudine homines efficit. Atque in eam se consuetudinem adduxerunt, ut locis frigidissimis neque vestitûs præter pelles habeant quidquam, (quarum propter exiguitatem magna est corporis pars aperta) et laventur in fluminibus.

II. Mercatoribus est ad eos aditus magis eo, ut quæ bello ceperint, quibus vendant, habeant, quam quo ullam rem ad se importari desiderent: quin etiam jumentis, quibus maxime Gallia delectatur, quæque impenso parant pretio Germani, importatis hi non utuntur: sed quæ sunt apud eos nata, parva atque deformia, hæe quotidianâ exercitatione, summi ut sint laboris efficiunt. Equestribus prœliis sæpe ex equis desiliunt ac pedibus prœliantur, equosque eodem remanere vestigio adsuefaciunt; ad quos se celeriter, quum usus est, recipiunt: neque eorum moribus turpius quidquam aut inertius habetur, quam ephippiis uti. Itaque ad quemvis numerum ephippiatorum equitum quamvis pauci adire audent. Vinum ad se omnino importari non sinunt, quod eâ re ad laborem ferendum remollescere homines atque effeminari arbitrantur.

III. Publice maximam putant esse laudem, quam latissime a suis finibus vacare agros: hâc re significari, magnum numerum civitatium suam vim sustinere non

posse. Itaque unâ ex parte a Suevis circiter millia passuum DC agri vacare dicuntur. Ad alteram partem succedunt Ubii, (quorum fuit civitas ampla atque florens, ut est captus Germanorum) et paullo, quam sunt ejusdem generis ceteri humaniores, propterea quod Rhenum attingunt multumque ad eos mercatores ventitant, et ipsi propter propinquitatem Gallicis sunt moribus adsuefacti. Hos quum Suevi, multis sæpe bellis experti, propter amplitudinem gravitatemque civitatis, finibus expellere non potuissent, tamen vectigales sibi fecerunt ac multo humiliores infirmioresque redegerunt.

IV. In eâdem causâ fuerunt Usipetes et Tenchtheri, quos supra diximus, qui complures annos Suevorum vim sustinuerunt, ad extremum tamen agris expulsi et multis locis Germaniæ triennium vagati, ad Rhenum pervenerunt: quas regiones Menapii incolebant et ad utramque ripam fluminis agros, ædificia, vicosque habebant; sed tantæ multitudinis aditu perterriti, ex his ædificiis, quæ trans flumen habuerant, demigraverant et cis Rhenum dispositis præsidiis, Germanos transire prohibebant. Illi omnia experti, quum neque vi contendere propter inopiam navium, neque clam transire propter custodias Menapiorum possent, reverti se in suas sedes regionesque simulaverunt: et tridui viam progressi, rursus reverterunt, atque omni hoc itinere unâ nocte equitatu confecto, inscios inopinantesque Menapios oppresserunt, qui de Germanorum discessu per exploratores certiores facti, sine metu trans Rhenum in suos vicos remigraverant. His interfectis navibusque eorum occupatis, priusquam ea pars Menapiorum, quæ citra Rhenum quieta in suis sedibus erat, certior fieret, flumen transierunt atque omnibus eorum ædificiis occupatis reliquam partem hiemis se eorum copiis aluerunt.

V. His de rebus Cæsar certior factus et infirmitatem Gallorum veritus, quod sunt in consiliis capiendis mobiles et novis plerumque rebus student, nihil his committendum existimavit. Est autem hoc Gallicæ consuetudinis, uti et viatores, etiam invitos, consistere cogant, et quod quisque eorum de quâque re audierit aut cognoverit, quærant, et mercatores in oppidis vulgus circumsistat, quibusque ex regionibus veniant, quasque

ibi res cognoverint, pronunciare cogant. His rumoribus atque auditionibus permoti, de summis sæpe rebus consilia ineunt, quorum eos e vestigio pænitere necesse est, quum incertis rumoribus serviant et plerique ad voluntatem eorum ficta respondeant.

VI. Quâ consuetudine cognitâ, Cæsar, ne graviori bello occurreret, maturius quam consuerat ad exercitum proficiscitur. Eo quum venissent, ea quæ fore suspicatus erat, facta cognovit, missas legationes ab nonnullis civitatibus ad Germanos invitatosque eos, uti ab Rheno discederent; omniaque quæ postulassent, ab se fore parata. Quâ spe adducti Germani latius jam vagabantur et in fines Eburonum et Condrusorum, qui sunt Trevirorum clientes, pervenerant. Principibus Galliæ evocatis Cæsar ea, quæ cognoverat, dissimulanda sibi existimavit, eorumque animis permulsis et confirmatis equitatuque imperato, bellum cum Germanis gerere constituit.

VII. Re frumentariâ comparatâ equitibusque delectis, iter in ea loca facere cœpit, quibus in locis esse Germanos audiebat. A quibus quum paucorum dierum iter abesset, legati ab his venerunt, quorum hæc fuit oratio: Germanos neque priores populo Romano bellum inferre, nec tamen recusare, si lacessantur, quin armis contendant; quod Germanorum consuetudo hæc sit a majoribus tradita, quicumque bellum inferant, resistere neque deprecari; hæc tamen dicere, venisse invitos, ejectos domo. Si suam gratiam Romani velint, posse eis utiles esse amicos; vel sibi agros attribuant, vel patiantur eos tenere, quos armis possederint. Sese unis Suevis concedere, quibus ne Dii quidem immortales pares esse possint: reliquum quidem in terris esse neminem, quem non superare possint.

VIII. Ad hæc Cæsar, quæ visum est respondit; sed exitus fuit orationis; Sibi nullam cum his amicitiam esse posse, si in Galliâ remanerent; neque verum esse, qui suos fines tueri non potuerint, alienos occupare: neque ullos in Galliâ vacare agros, qui dari tantæ præsertim multitudini sine injuriâ possint. Sed licere, si velint, in Ubiorum finibus considere, quorum sint legati apud se et de Suevorum injuriis querantur et a se auxilium petant; hoc se ab iis impetraturum.

IX. Legati hæc ad suos relaturos dixerunt, et re deliberatâ post diem tertium ad Cæsarem reversuros ; interea ne propius se castra moveret, petierunt. Ne id quidem Cæsar ab se impetrari posse dixit ; cognoverat enim magnam partem equitatûs ab iis aliquot diebus ante prædandi frumentandique causâ ad Ambivaritos trans Mosam missam. Hos exspectari equites atque ejus rei causâ moram interponi arbitrabatur.

X. Mosa profluit ex monte Vosego qui est in finibus Lingonum, et parte quâdam ex Rheno receptâ, quæ appellatur Vahalis, insulamque efficit Batavorum, in Oceanum influit, neque longius ab Oceano millibus passuum LXXX in Rhenum transit. Rhenus autem oritur ex Lepontiis, qui Alpes incolunt, et longo spatio per fines Nantuatium, Helvetiorum, Sequanorum, Mediomatricorum, Tribucorum, Trevirorum citatus fertur, et ubi Oceano appropinquat, in plures diffluit partes, multis ingentibusque insulis effectis, quarum pars magna a feris barbarisque nationibus incolitur, ex quibus sunt, qui piscibus atque ovis avium vivere existimantur, multisque capitibus in Oceanum influit.

XI. Cæsar quum ab hoste non amplius passuum XII millibus abesset, ut erat constitutum, ad eum legati revertuntur: qui in itinere congressi magnopere, ne longius progrederetur, orabant. Quum id non impetrassent, petebant, uti ad eos equites, qui agmen antecessissent, præmitteret, eosque pugnâ prohiberet; sibique uti potestatem faceret, in Ubios legatos mittendi: quorum si principes ac senatus sibi jurejurando fidem fecissent, eâ conditione, quæ a Cæsare ferretur, se usuros ostendebant: ad has res conficiendas sibi tridui spatium daret. Hæc omnia Cæsar eodem illo pertinere arbitrabatur, ut tridui morâ interpositâ equites eorum, qui abessent, reverterentur: tamen sese non longius millibus passuum quatuor aquationis causâ processurum eo die dixit: huc postero die quam frequentissimi convenirent, ut de eorum postulatis cognosceret. Interim ad præfectos, qui cum omni equitatu antecesserant, mittit qui nunciarent, ne hostes prælio lacesserent, et si ipsi lacesserentur, sustinerent, quoad ipse cum exercitu propius accessisset.

XII. At hostes ubi primum nostros equites conspexerunt, quorum erat quinque millium numerus, quum ipsi non amplius DCCC equites haberent, quod ii, qui frumentandi causâ ierant trans Mosam, nondum redierant, nihil timentibus nostris, quod legati eorum paullo ante a Cæsare discesserant, atque is dies induciis erat ab iis petitus, impetu facto celeriter nostros perturbaverunt. Rursus resistentibus nostris, consuetudine suâ ad pedes desiluerunt, subfossisque equis compluribusque nostris dejectis, reliquos in fugam conjecerunt, atque ita perterritos egerunt, ut non prius fugâ desisterent, quam in conspectum agminis nostri venissent. In eo prœlio ex equitibus nostris interficiuntur quatuor et septuaginta, in his vir fortissimus Piso, Aquitanus, amplissimo genere natus, cujus avus in civitate suâ regnum obtinuerat, amicus ab senatu nostro appellatus. Hic quum fratri intercluso ab hostibus auxilium ferret, illum ex periculo eripuit; ipse equo vulnerato dejectus, quoad potuit, fortissime restitit. Quum circumventus multis vulneribus acceptis cecidisset, atque id frater, qui jam prœlio excesserat, procul animum advertisset, incitato equo se hostibus obtulit atque interfectus est.

XIII. Hoc facto prœlio Cæsar neque jam sibi legatos audiendos, neque conditiones accipiendas arbitrabatur ab his, qui per dolum atque insidias, petitâ pace, ultro bellum intulissent: exspectare vero, dum hostium copiæ augerentur equitatusque reverteretur, summæ dementiæ esse judicabat, et cognitâ Gallorum infirmitate, quantum jam apud eos hostes uno prœlio auctoritatis essent consecuti, sentiebat: quibus ad consilia capienda nihil spatii dandum existimabat. His constitutis rebus et consilio cum legatis et quæstore communicato, ne quem diem pugnæ prætermitteret, opportunissima res accidit, quod postridie ejus diei mane eâdem et perfidiâ et simulatione usi Germani, frequentes, omnibus principibus majoribusque natu adhibitis, ad eum in castra venerunt; simul, ut dicebatur, sui purgandi causâ, quod contra atque esset dictum et ipsi petissent, prœlium pridie commisissent; simul ut, si quid possent, de induciis fallendo impetrarent. Quos sibi Cæsar oblatos gavisus, illos retineri jussit; ipse omnes copias castris eduxit equita-

tumque, quod recenti prœlio perterritum esse existimabat, agmen subsequi jussit.

XIV. Acie triplici institutâ et celeriter VIII millium itinere confecto, prius ad hostium castra pervenit, quam quid ageretur Germani sentire possent. Qui, omnibus rebus subito perterriti, et celeritate adventûs nostri et discessu suorum, neque consilii habendi, neque arma capiendi spatio dato, perturbantur, copiasne adversus hostem educere, an castra defendere, an fugâ salutem petere præstaret. Quorum timor quum fremitu et concursu significaretur, milites nostri, pristini diei perfidiæ incitati, in castra irruperunt. Quorum qui celeriter arma capere potuerunt, paullisper nostris restiterunt atque inter carros impedimentaque prœlium commiserunt: at reliqua multitudo puerorum mulierumque (nam cum omnibus suis domo excesserant Rhenumque transierant) passim fugere cœpit; ad quos consectandos Cæsar equitatum misit.

XV. Germani, post tergum clamore audito, quum suos interfici viderent, armis abjectis signisque militaribus relictis, se ex castris ejecerunt: et quum ad confluentem Mosæ et Rheni pervenissent, reliquâ fugâ desperatâ, magno numero interfecto, reliqui se in flumen precipitaverunt, atque ibi timore, lassitudine, vi fluminis oppressi perierunt. Nostri ad unum omnes incolumes, perpaucis vulneratis, ex tanti belli timore, quum hostium numerus capitum CDXXX millium fuisset, se in castra receperunt. Cæsar his, quos in castris retinuerat, discedendi potestatem fecit: illi supplicia cruciatusque Gallorum veriti, quorum agros vexaverant, remanere se apud eum velle dixerunt. His Cæsar libertatem concessit.

XVI. Germanico bello confecto, multis de causis Cæsar statuit, sibi Rhenum esse transeundum; quarum illa fuit justissima, quod, quum videret Germanos tam facile impelli, ut in Galliam venirent, suis quoque rebus eos timere voluit, quum intelligerent et posse et audere populi Romani exercitum Rhenum transire. Accessit etiam, quod illa pars equitatûs Usipetum et Tenchtherorum, quam supra commemoravi prædandi frumentandique causâ Mosam transisse, neque prœlio interfuisse,

post fugam suorum se trans Rhenum in fines Sigambrorum receperat seque cum iis conjunxerat. Ad quos quum Cæsar nuncios misisset, qui postularent, eos, qui sibi Galliæque bellum intulissent, sibi dederent, responderunt: populi Romani imperium Rhenum finire: si se invito Germanos in Galliam transire non æquum existimaret, cur sui quidquam esse imperii aut potestatis trans Rhenum postularet? Ubii autem, qui uni ex transrhenanis ad Cæsarem legatos miserant, amicitiam fecerant, obsides dederant, magnopere orabant, ut sibi auxilium ferret, quod graviter ab Suevis premerentur; vel si id facere occupationibus reipublicæ prohiberetur, exercitum modo Rhenum transportaret; id sibi ad auxilium spemque reliqui temporis satis futurum; tantum esse nomen atque opinionem ejus exercitûs, Ariovisto pulso et hoc novissimo prœlio facto, etiam ad ultimas Germanorum nationes, uti opinione et amicitiâ populi Romani tuti esse possint. Navium magnam copiam ad transportandum exercitum pollicebantur.

XVII. Cæsar his de causis, quas commemoravi, Rhenum transire decreverat; sed navibus transire neque satis tutum esse arbitrabatur, neque suæ, neque populi Romani dignitatis esse statuebat. Itaque etsi summa difficultas faciundi pontis proponebatur propter latitudinem, rapiditatem altitudinemque fluminis, tamen id sibi contendendum, aut aliter non transducendum exercitum existimabat. Rationem pontis hanc instituit. Tigna bina sesquipedalia, paullum ab imo præacuta, dimensa ad altitudinem fluminis, intervallo pedum duorum inter se jungebat. Hæc quum machinationibus immissa in flumen defixerat fistucisque adegerat, non sublicæ modo directa ad perpendiculum, sed prona ac fastigata ut secundum naturam fluminis procumberent: iis item contraria duo, ad eundem modum juncta, intervallo pedum quadragenum, ab inferiore parte, contra vim atque impetum fluminis conversa statuebat. Hæc utraque, insuper bipedalibus trabibus immissis, quantum eorum tignorum junctura distabat, binis utrimque fibulis ab extremâ parte distinebantur: quibus disclusis atque in contrariam partem revinctis, tanta erat operis firmitudo atque ea rerum natura, ut quo major vis aquæ se

incitavisset, hoc artius illigata tenerentur. Hæc directâ materiâ injectâ contexebantur et longuriis cratibusque consternebantur. Ac nihilo secius sublicæ et ad inferiorem partem fluminis oblique agebantur, quæ pro pariete subjectæ et cum omni opere conjunctæ, vim fluminis exciperent: et aliæ item supra pontem mediocri spatio, ut, si arborum trunci sive naves dejiciendi operis essent a barbaris missæ, his defensoribus earum rerum vis minueretur, neu ponti nocerent.

XVIII. Diebus decem, quibus materia cœpta erat comportari, omni opere effecto, exercitus transducitur. Cæsar, ad utramque partem pontis firmo præsidio relicto, in fines Sigambrorum contendit. Interim a compluribus civitatibus ad eum legati veniunt, quibus pacem atque amicitiam petentibus liberaliter respondit obsidesque ad se adduci jubet. At Sigambri ex eo tempore, quo pons institui cœptus est, fugâ comparatâ, hortantibus iis, quos ex Tenchtheris atque Usipetibus apud se habebant, finibus suis excesserant suaque omnia exportaverant, seque in solitudinem ac silvas abdiderant.

XIX. Cæsar paucos dies in eorum finibus moratus, omnibus vicis ædificiisque incensis, frumentisque succisis, se in fines Ubiorum recepit; atque iis auxilium suum pollicitus, si ab Suevis premerentur, hæc ab iis cognovit: Suevos, posteaquam per exploratores pontem fieri comperissent, more suo concilio habito, nuncios in omnes partes dimisisse, uti de oppidis demigrarent, liberos, uxores suaque omnia in silvas deponerent, atque omnes, qui arma ferre possent, unum in locum convenirent: hunc esse delectum medium fere regionum earum, quas Suevi obtinerent; hic Romanorum adventum exspectare atque ibi decertare constituisse. Quod ubi Cæsar comperit, omnibus his rebus confectis, quarum rerum causâ transducere exercitum constituerat, ut Germanis metum injiceret, ut Sigambros ulcisceretur, ut Ubios obsidione liberaret, diebus omnino X et VIII trans Rhenum consumtis, satis et ad laudem et ad utilitatem profectum arbitratus, se in Galliam recepit pontemque rescidit.

XX. Exiguâ parte æstatis reliquâ, Cæsar, etsi in his locis, quod omnis Gallia ad septemtriones vergit, maturæ sunt hiemes, tamen in Britanniam proficisci contendit, quod omnibus fere Gallicis bellis hostibus nostris inde subministrata auxilia intelligebat: et, si tempus anni ad bellum gerendum deficeret, tamen magno sibi usui fore arbitrabatur, si modo insulam adisset, genus hominum perspexisset, loca, portus, aditus cognovisset: quæ omnia fere Gallis erant incognita. Neque enim temere præter mercatores illo adit quisquam, neque iis ipsis quidquam præter oram maritimam atque eas regiones, quæ sunt contra Gallias, notum est. Itaque evocatis ad se undique mercatoribus, neque quanta esset insulæ magnitudo, neque quæ aut quantæ nationes incolerent, neque quem usum belli haberent, aut quibus institutis uterentur, neque qui essent ad majorum navium multitudinem idonei portus, reperire poterat.

XXI. Ad hæc cognoscenda, priusquam periculum faceret, idoneum esse arbitratus C. Volusenum, cum navi longâ præmittit. Huic mandat, uti exploratis omnibus rebus ad se quam primum revertatur: ipse cum omnibus copiis in Morinos proficiscitur, quod inde erat brevissimus in Britanniam transjectus. Huc naves undique ex finitimis regionibus et quam superiore æstate ad Veneticum bellum fecerat classem, jubet convenire. Interim, consilio ejus cognito et per mercatores perlato ad Britannos, a compluribus ejus insulæ civitatibus ad eum legati veniunt, qui polliceantur obsides dare atque imperio populi Romani obtemperare. Quibus auditis, liberaliter pollicitus hortatusque, ut in eâ sententiâ permanerent, eos domum remittit et cum his una Commium, quem ipse, Atrebatibus superatis, regem ibi constituerat, cujus et virtutem et consilium probabat et quem sibi fidelem arbitrabatur, cujusque auctoritas in iis regionibus magni habebatur, mittit. Huic imperat, quas possit adeat civitates horteturque, ut populi Romani fidem sequantur, seque celeriter eo venturum nunciet. Volusenus, perspectis regionibus, quantum ei facultatis dari potuit, qui navi egredi ac se barbaris

committere non auderet, quinto die ad Cæsarem revertitur; quæque ibi perspexisset, renunciat.

XXII. Dum in his locis Cæsar navium parandarum causâ moratur, ex magnâ parte Morinorum ad eum legati venerunt, qui se de superioris temporis consilio excusarent, quod homines barbari et nostræ consuetudinis imperiti bellum populo Romano fecissent, seque ea, quæ imperasset, facturos pollicerentur. Hoc sibi satis opportune Cæsar accidisse arbitratus, quod neque post tergum hostem relinquere volebat, neque belli gerendi propter anni tempus facultatem habebat, neque has tantularum rerum occupationes sibi Britanniæ anteponendas judicabat, magnum his obsidum numerum imperat. Quibus adductis, eos in fidem recepit. Navibus circiter LXXX onerariis coactis contractisque, quot satis esse ad duas transportandas legiones existimabat, quidquid præterea navium longarum habebat, quæstori, legatis præfectisque distribuit. Huc accedebant XVIII onerariæ naves, quæ ex eo loco ab millibus passuum VIII vento tenebantur, quo minus in eundem portum pervenire possent. Has equitibus distribuit; reliquum exercitum Q. Titurio Sabino et L. Aurunculeio Cottæ, legatis, in Menapios atque in eos pagos Morinorum, ab quibus ad eum legati non venerant, deducendum dedit. P. Sulpicium Rufum, legatum, cum eo præsidio, quod satis esse arbitrabatur, portum tenere jussit.

XXIII. His constitutis rebus, nactus idoneam ad navigandum tempestatem, tertiâ fere vigiliâ solvit, equitesque in ulteriorem portum progredi et naves conscendere et se sequi jussit: a quibus quum id paullo tardius esset administratum, ipse horâ diei circiter quartâ cum primis navibus Britanniam attigit, atque ibi in omnibus collibus expositas hostium copias armatas conspexit. Cujus loci hæc erat natura: adeo montibus angustis mare continebatur, uti ex locis superioribus in littus telum adjici posset. Hunc ad egrediendum nequaquam idoneum arbitratus locum, dum reliquæ naves eo convenirent, ad horam nonam in ancoris exspectavit. Interim legatis tribunisque militum convocatis, et quæ ex Voluseno cognosset, et quæ fieri vellet,

ostendit, monuitque, ut rei militaris ratio, maxime ut maritimæ res postularent, ut quæ celerem atque instabilem motum haberent, ad nutum et ad tempus omnes res ab iis administrarentur. His dimissis, et ventum et æstum uno tempore nactus secundum, dato signo et sublatis ancoris, circiter millia passuum VII ab eo loco progressus aperto ac plano litore naves constituit.

XXIV. At barbari, consilio Romanorum cognito, præmisso equitatu et essedariis, quo plerumque genere in prœliis uti consuerunt, reliquis copiis subsecuti, nostros navibus egredi prohibebant. Erat ob has causas summa difficultas, quod naves propter magnitudinem nisi in alto constitui non poterant; militibus autem ignotis locis, impeditis manibus, magno et gravi armorum onere oppressis, simul et de navibus desiliendum et in fluctibus consistendum et cum hostibus erat pugnandum: quum illi aut ex arido, aut paullulum in aquam progressi, omnibus membris expediti, notissimis locis audacter tela conjicerent et equos insuefactos incitarent. Quibus rebus nostri perterriti atque hujus omnino generis pugnæ imperiti, non eâdem alacritate ac studio, quo in pedestribus uti prœliis consueverant, utebantur.

XXV. Quod ubi Cæsar animadvertit, naves longas, quarum et species barbaris inusitatior et motus ad usum expeditior erat, paullum removeri ab onerariis navibus et remis incitari et ad latus apertum hostium constitui, atque inde fundis, sagittis, tormentis, hostes propelli ac submoveri jussit: quæ res magno usui nostris fuit. Nam et navium figurâ et remorum motu et inusitato genere tormentorum permoti barbari constiterunt, ac paullum modo pedem retulerunt. Atque nostris militibus cunctantibus, maxime propter altitudinem maris, qui decimæ legionis aquilam ferebat, contestatus Deos, ut ea res legioni feliciter eveniret: Desilite, inquit, commilitones, nisi vultis aquilam hostibus prodere; ego certe meum reipublicæ atque imperatori officium præstitero. Hoc quum magnâ voce dixisset, ex navi se projecit atque in hostes aquilam ferre cœpit. Tum nostri, cohortati inter se, ne tantum dedecus admitteretur, universi ex navi desiluerunt: hos item (alii) ex proximis (primis) navibus quum conspexissent, subsecuti hostibus appropinquarunt.

XXVI. Pugnatum est ab utrisque acriter; nostri tamen, quod neque ordines servare, neque firmiter insistere, neque signa subsequi poterant, atque alius aliâ ex navi, quibuscumque signis occurrerat, se aggregabat, magno opere perturbabantur. Hostes vero, notis omnibus vadis, ubi ex litore aliquos singulares ex navi egredientes conspexerant, incitatis equis impeditos adoriebantur: plures paucos circumsistebant, alii ab latere aperto in universos tela conjiciebant. Quod quum animadvertisset Cæsar, scaphas longarum navium, item speculatoria navigia militibus compleri jussit, et quos laborantes conspexerat, iis subsidia submittebat. Nostri simul in arido constiterunt, suis omnibus consecutis, in hostes impetum fecerunt atque eos in fugam dederunt, neque longius prosequi potuerunt, quod equites cursum tenere atque insulam capere non potuerant. Hoc unam ad pristinam fortunam Cæsari defuit.

XXVII. Hostes prœlio superati simul atque se ex fugâ receperunt, statim ad Cæsarem legatos de pace miserunt, obsides daturos, quæque imperasset sese facturos polliciti sunt. Una cum his legatis Commius Atrebas venit, quem supra demonstraveram a Cæsare in Britanniam præmissum. Hunc illi e navi egressum, quum ad eos oratoris modo imperatoris mandata perferret, comprehenderant atque in vincula conjecerant: tum, prœlio facto, remiserunt et in petendâ pace ejus rei culpam in multitudinem contulerunt, et propter imprudentiam ut ignosceretur, petiverunt. Cæsar questus, quod, quum ultro in continentem legatis missis pacem ab se petissent, bellum sine causâ intulissent, ignoscere imprudentiæ dixit obsidesque imperavit: quorum illi partem statim dederunt, partem ex longinquioribus locis arcessitam, paucis diebus sese daturos dixerunt. Interea suos remigrare in agros jusserunt, principesque undique convenire et se civitatesque suas Cæsari commendare cœperunt.

XXVIII. His rebus pace confirmatâ, post diem IV. quam est in Britanniam ventum, naves XVIII, de quibus supra demonstratum est, quæ equites sustulerant, ex superiore portu leni vento solverunt. Quæ quum appropinquarent Britanniæ et ex castris videren-

tur, tanta tempestas subito coorta est, ut nulla earum cursum tenere posset, sed aliæ eodem, unde erant profectæ, referrentur, aliæ ad inferiorem partem insulæ, quæ est propius solis occasum, magno sui cum periculo dejicerentur: quæ tamen, ancoris jactis quum fluctibus complerentur, necessario adversâ nocte in altum provectæ continentem petierunt.

XXIX. Eâdem nocte accidit, ut esset luna plena, qui dies maritimos æstus maximos in Oceano efficere consuevit: nostrisque id erat incognitum. Ita uno tempore et longas naves, quibus Cæsar exercitum transportandum curaverat, quasque in aridum subduxerat, æstus complebat; et onerarias, quæ ad ancoras erant deligatæ, tempestas adflictabat; neque ulla nostris facultas aut administrandi, aut auxiliandi dabatur. Compluribus navibus fractis, reliquæ quum essent, funibus, ancoris reliquisque armamentis amissis, ad navigandum inutiles, magna, id quod necesse erat accidere, totius exercitûs perturbatio facta est: neque enim naves erant aliæ, quibus reportari possent, et omnia deerant, quæ ad reficiendas eas usui sunt, et, quod omnibus constabat hiemare in Galliâ oportere, frumentum his in locis in hiemem provisum non erat.

XXX. Quibus rebus cognitis, principes Britanniæ, qui post prœlium factum ad ea, quæ jusserat Cæsar, facienda convenerant, inter se collocuti, quum equites et naves et frumentum Romanis deesse intelligerent, et paucitatem militum ex castrorum exiguitate cognoscerent, quæ hoc erant etiam angustiora, quod sine impedimentis Cæsar legiones transportaverat, optimum factu esse duxerunt, rebellione factâ, frumento commeatuque nostros prohibere et rem in hiemem producere, quod, iis superatis aut reditu interclusis, neminem postea belli inferendi causâ in Britanniam transiturum confidebant.

XXXI. Itaque rursus conjuratione factâ, paullatim ex castris discedere ac suos clam ex agris deducere cœperunt. At Cæsar, etsi nondum eorum consilia cognoverat, tamen et ex eventu navium suarum, et ex eo quod obsides dare intermiserant, fore id, quod accidit, suspicabatur. Itaque ad omnes casus subsidia

comparabat: nam et frumentum ex agris quotidie in castra conferebat, et quæ gravissime adflictæ erant naves, earum materiâ atque ære ad reliquas reficiendas utebatur, et quæ ad eas res erant usui, ex continenti comportari jubebat. Itaque quum id summo studio a militibus administraretur, duodecim navibus amissis, reliquis ut navigari commode posset, effecit.

XXXII. Dum ea geruntur, legione ex consuetudine unâ frumentatum missâ, quæ appellabatur septima, neque ullâ ad id tempus belli suspicione interpositâ, quum pars hominum in agris remaneret, pars etiam in castra ventitaret, ii, qui pro portis castrorum in statione erant, Cæsari renunciarunt pulverem majorem, quam consuetudo ferret, in eâ parte videri, quam in partem legio iter fecisset. Cæsar, id quod erat suspicatus, aliquid novi a barbaris initum consilii, cohortes, quæ in stationibus erant, secum in eam partem proficisci, duas ex reliquis in stationem succedere, reliquas armari et confestim sese subsequi jussit. Quum paullo longius a castris processisset, suos ab hostibus premi atque ægre sustinere et confertâ legione ex omnibus partibus tela conjici animum advertit. Nam quod, omni ex reliquis partibus demesso frumento, una pars erat reliqua, suspicati hostes huc nostros esse venturos, noctu in silvis delituerant: tum dispersos, depositis armis, in metendo occupatos, subito adorti, paucis interfectis, reliquos incertis ordinibus perturbaverant: simul equitatu atque essedis circumdederant.

XXXIII. Genus hoc est ex essedis pugnæ: primo per omnes partes perequitant et tela conjiciunt, atque ipso terrore equorum et strepitu rotarum ordines plerumque perturbant: et quum se inter equitum turmas insinuaverint, ex essedis desiliunt et pedibus prœliantur. Aurigæ interim paullatim ex prœlio excedunt atque ita currus collocant, ut, si illi a multitudine hostium premantur, expeditum ad suos receptum habeant. Ita mobilitatem equitum, stabilitatem peditum in prœliis præstant, ac tantum usu quotidiano et exercitatione efficiunt, uti in declivi ac præcipiti loco incitatos equos sustinere et brevi moderari ac flectere, et per temonem

percurrere et in jugo insistere et inde se in currus citissime recipere consuerint.

XXXIV. Quibus rebus, perturbatis nostris novitate pugnæ, tempore opportunissimo Cæsar auxilium tulit; namque ejus adventu hostes constiterunt, nostri se ex timore receperunt. Quo facto, ad lacessendum et ad committendum prœlium alienum esse tempus arbitratus, suo se loco continuit, et brevi tempore intermisso, in castra legiones reduxit. Dum hæc geruntur, nostris omnibus occupatis, qui erant in agris reliqui, discesserunt. Secutæ sunt continuos complures dies tempestates, quæ et nostros in castris continerent et hostem a pugnâ prohiberent. Interim barbari nuncios in omnes partes dimiserunt paucitatemque nostrorum militum suis prædicaverunt, et quanta prædæ faciendæ atque in perpetuum sui liberandi facultas daretur, si Romanos castris expulissent, demonstraverunt. His rebus celeriter magnâ multitudine peditatûs equitatûsque coactâ, ad castra venerunt.

XXXV. Cæsar, etsi idem quod superioribus diebus acciderat, fore videbat, ut, si essent hostes pulsi, celeritate periculum effugerent; tamen nactus equites circiter triginta, quos Commius Atrebas, de quo ante dictum est, secum transportaverat, legiones in acie pro castris constituit. Commisso prœlio, diutius nostrorum militum impetum hostes ferre non potuerunt ac terga verterunt. Quos tanto spatio secuti, quantum cursu et viribus efficere potuerunt, complures ex iis occiderunt; deinde, omnibus longe lateque adflictis incensisque, se in castra receperunt.

XXXVI. Eodem die legati, ab hostibus missi ad Cæsarem de pace, venerunt. His Cæsar numerum obsidum, quem antea imperaverat, duplicavit, eosque in continentem adduci jussit, quod, propinquâ die æquinoctii, infirmis navibus, hiemi navigationem subjiciendam non existimabat. Ipse idoneam tempestatem nactus, paullo post mediam noctem naves solvit, quæ omnes incolumes ad continentem pervenerunt; sed ex his onerariæ duæ eosdem quos reliquæ portus capere non potuerunt, sed paullo infra delatæ sunt.

XXXVII. Quibus ex navibus quum essent expositi milites circiter CCC, atque in castra contenderent, Morini, quos Cæsar in Britanniam proficiscens pacatos reliquerat, spe prædæ adducti, primo non ita magno suorum numero circumsteterunt, ac si sese interfici nollent, arma ponere jusserunt. Quum illi orbe facto sese defenderent, celeriter ad clamorem hominum circiter millia VI convenerunt. Quâ re nunciatâ, Cæsar omnem ex castris equitatum suis auxilio misit. Interim nostri milites impetum hostium sustinuerunt atque amplius horis quatuor fortissime pugnaverunt, et paucis vulneribus acceptis, complures ex iis occiderunt. Postea vero quam equitatus noster in conspectum venit, hostes abjectis armis terga verterunt magnusque eorum numerus est occisus.

XXXVIII. Cæsar postero die T. Labienum Legatum cum iis legionibus, quas ex Britanniâ reduxerat, in Morinos, qui rebellionem fecerant, misit. Qui quum propter siccitates paludum, quo se reciperent, non haberent, quo perfugio superiore anno fuerant usi, omnes fere in potestatem Labieni venerunt. At Q. Titurius et L. Cotta legati, qui in Menapiorum fines legiones duxerant, omnibus eorum agris vastatis, frumentis succisis, ædificiis incensis, quod Menapii se omnes in densissimas silvas abdiderant, se ad Cæsarem receperunt. Cæsar in Belgis omnium legionum hiberna constituit. Eo duæ omnino civitates ex Britanniâ obsides miserunt, reliquæ neglexerunt. His rebus gestis, ex literis Cæsaris dierum XX supplicatio a senatu decreta est.

FINIS.

LATIN CLASSICS.

CHEAP COLONIAL EDITIONS

FOR

COLLEGES AND SCHOOLS.

Although the great improvements in the Printing Art have done so much to add to the appearance of Books, and also to diminish the cost, yet the price still forms rather a serious item in the expense of education. This is particularly the case in editions of the Greek and Latin Classics. There is no want of excellence in many of these, but they are generally either so comprehensive or so extended by annotations, that the price is an obstacle to those who, entertaining enlarged views of the advantages of education, have not means commensurate with their wishes. It is, therefore, the intention of the Subscribers, to publish neat and correct editions of such detached portions of the Classic authors as are usually read in Schools and Colleges. This plan has been tried in England, and has been attended with marked success.

To those who are obliged to study economy in education, these editions will be recommended by their cheapness, their accuracy, and their being limited in their extent to that which is absolutely necessary.

To those, who either possess, or can afford to possess more expensive editions, these little copies will be offered as a means of saving the others from that speedy injury or destruction which befals books in the daily transit between home and school. They will be more portable and convenient, more fair and scholar-like in the class-room--not open to the just and reasonable objection which Tutors make to editions so charged with notes, that they almost amount to a translation.

Some years ago, the Subscribers made the attempt to introduce a uniform series of Books into the Common Schools of Canada. Their design was heartily seconded by the Board of Education in Ireland, who promptly and with the utmost liberality placed the

copyright of their valuable Text Books at their disposal. At a very considerable expense of labour and money, the Subscribers, in a shorter period than they anticipated, succeeded in introducing the Books into almost every section of the Province. Since then the indefatigable and intelligent Superintendent of Education in Canada West, who, at an early period, expressed to the Subscribers his favourable opinion of these Books, having himself obtained permission to reprint them, delegated the right to other Booksellers in Canada, by whom, and by the Subscribers under their original grant from the Irish Board, the Province is now abundantly supplied with these excellent Books.

The success which attended this experiment to improve and render uniform the Books used in the Common Schools of Canada, has emboldened the Subscribers to undertake the publication of the Classical series now announced for the use of Colleges, High Schools, District and Grammar Schools.

The first numbers of the series will consist of the following :—

Excerpts from Cornelius Nepos.
The First Four Books of Cæsar.
The Georgics of Virgil.
The Fasti of Ovid.
The Third and Fourth Books of Quintus Curtius.
Cicero de Amicitia.
Cicero de Senectute.
Taciti Agricola.
Excerpts from Horace.

To be followed in rapid succession by Sallust's History of Cataline's Conspiracy, the first four Books of Virgil's Æneid, and other Standard Text Books.

The price of each will vary from 9d. to 1s. 9d. currency according to the quantity of printed matter in each.

Orders for copies will be executed by the Booksellers throughout Canada, or by the Publishers.

ARMOUR & RAMSAY.

NATIONAL SCHOOL BOOKS.

Since the Subscribers published this valuable series only a few years ago, the demand has so steadily increased, as to require the issue of several large editions. The present have been

carefully revised and freed from typographical errors. The Introduction to Geography has been greatly improved, and the Sequel to the Second Book has been lately added to the series. Teachers will find this last named book of great service to them in preparing the way for the use of the Third Book.

General Lessons, to be hung up in Schools.
First Book of Lessons.
Second Book of Lessons.
Sequel to the Second Book.
Third Book of Lessons.
Fourth Book of Lessons.
Fifth Book of Lessons.
Truth of Christianity.
First Book of Arithmetic and Key.
English Grammar and Key.
Book-keeping and Key.
Treatise on Mensuration, for the use of Teachers.
Elements of Geometry.
Introduction to Geography and History, with Maps, Plates, &c., new edition, much improved.

The Subscribers also publish editions of the following popular

SCHOOL BOOKS:

The Canadian Primer, by Peter Parley.
Manson's Primer.
First Reading Book.
Second ditto.
Third ditto.
Mavor's Spelling Book.
Carpenter's ditto.
Webster's ditto.
Murray's English Reader.
Ditto Large Grammar.
Murray's English Small Gram-
The Shorter Catechism. [mar.
Ditto with Proofs.
Catechism of Universal History.
Ditto History of England.
Ditto Geography.
Walkingame's Arithmetic.
Walker's Dictionary.
Canadian School Atlas.
Ewing's Canadian School Geography.

OUTLINED MAPS FOR SCHOOL ROOMS.

By an arrangement with the Edinburgh Publishers, the Subscribers are enabled to sell at the remarkably low price of 6s. 3d. each, a series of outlined Maps lately produced for the use of Schools and Colleges in Scotland.

ARMOUR & RAMSAY.

CICERO

DE

SENECTUTE.

FROM THE TEXT OF ERNESTI,

CAREFULLY REVISED.

MONTREAL:
ARMOUR & RAMSAY.

1849.

ARGUMENTUM

DIALOGI DE SENECTUTE.

Hic libellus versatur in senectutis tum laudibus explicandis, tum repellendis criminationibus. Quattuor autem de caussis senectus putatur misera; quarum prima est, quod avocet a rebus gerendis, altera, quod corpus faciat infirmius, tertia, quod privet omnibus fere voluptatibus, quarta, quod haud procul absit a morte. Hæc igitur singula accusationis capita redarguit, ut quæ senectutem partim non attingant, partim non reddant miseram. Sermo autem tribuitur Catoni Censorio, seni et patientissimo ætatis suæ et florentissimo. Qui quum in senectute demum litteras Græcas didicerit, oratio ejus hoc in libello, quam alias, est doctior. Habitus quidem fingitur sermo Tito Quinctio Flaminino, Marco Acilio Balbo, Coss. s. anno p. U. C. 604. Scriptus est autem post cædem Cæsaris, anno, ut videtur, 710, et missus ad Atticum senem, de republica tum maxime sollicitum. Hic, Cicerone tribus annis major, eo tempore annum agebat sexagesimum sextum.

I
r
t
r
ç
r
a
c
s
ic
e
v
u
ju
a
et
la
te
co
d
tr
at
jo
et
se

MARCI TULLII CICERONIS

CATO MAJOR SEU DE SENECTUTE.

AD

TITUM POMPONIUM ATTICUM.

I. 1. O Tite, si quid ego adjûro, curamve levasso,
Quæ nunc te coquit et versat, in pectore fixa,
Ecquid erit pretii ?

Licet enim versibus iisdem mihi affari te, Attice, quibus affatur Flamininum

Ille vir, haud magna cum re, sed plenu' fidei.

Quanquam certo scio, non, ut Flamininum,

Sollicitari te, Tite, sic noctesque diesque.

Novi enim moderationem animi tui et æquitatem, teque non cognomen solum Athenis deportasse, sed humanitatem et prudentiam, intelligo. Et tamen te suspicor iisdem rebus, quibus meipsum, interdum gravius commoveri: quarum consolatio et major est, et in aliud tempus differenda. Nunc autem mihi visum est *de Senectute* aliquid ad te conscribere. 2. Hoc enim onere, quod mihi tecum commune est, aut jam urgentis aut certe adventantis senectutis et te et meipsum levari volo. Etsi te quidem id modice ac sapienter, sicut omnia, et ferre et laturum esse certò scio. Sed mihi, quum de senectute aliquid vellem scribere, tu occurrebas dignus eo munere, quo uterque nostrum communiter uteretur. Mihi quidem ita jucunda hujus libri confectio fuit, ut non modo omnes absterserit senectutis molestias, sed effecerit mollem etiam et jucundam senectutem. Nunquam igitur satis laudari digne poterit philosophia, cui qui pareat, omne tempus ætatis sine molestia possit degere. 3. Sed de ceteris et diximus multa, et sæpe dicemus; hunc librum *de Senectute* ad te misimus. Omnem autem sermonem tribuimus non Tithono, ut Aristo Chius, ne parum esset auctoritatis in fabula; sed Marco Catoni seni, quo majorem auctoritatem haberet oratio; apud quem Lælium et Scipionem facimus admirantes, quod is tam facile senectutem ferat, iisque eum respondentem. Qui si

eruditius videbitur disputare, quam consuevit ipse in suis libris, attribuito Græcis litteris, quarum constat eum perstudiosum fuisse in senectute. Sed quid opus est plura? Jam enim ipsius Catonis sermo explicabit nostram omnem de senectute sententiam.

II. 4. Scipio. Sæpenumero admirari soleo cum hoc Caio Lælio, tum ceterarum rerum tuam excellentem, Marce Cato, perfectamque sapientiam, tum vel maxime, quod nunquam senectutem tibi gravem esse senserim; quæ plerisque senibus sic odiosa est, ut onus se Ætnâ gravius dicant sustinere. Cato. Rem haud sane difficilem, Scipio et Læli, admirari videmini. Quibus enim nihil opis est in ipsis ad bene beateque vivendum, iis omnis gravis est ætas: qui autem omnia bona a se ipsis petunt, iis nihil potest malum videri, quod naturæ necessitas afferat. Quo in genere in primis est senectus; quam ut adipiscantur, omnes optant; eandem accusant adeptam: tanta est inconstantia stultitiæ, atque perversitas. Obrepere, aiunt, eam citius quam putassent. Primum, quis coegit eos falsum putare? Quid enim? citius adolescentiæ senectus, quam pueritiæ adolescentia obrepit? Deinde, quî minus gravis esset iis senectus, si octingentesimum annum agerent, quam octogesimum? Præterita enim ætas, quamvis longa, quum effluxisset, nullâ consolatione permulcere posset stultam senectutem. 5. Quocirca si sapientiam meam admirari soletis, (quæ utinam digna esset opinione vestrâ nostroque cognomine!) in hoc sumus sapientes, quod naturam optimam ducem, tanquam Deum, sequimur, eique paremus: a qua, non verisimile est, quum ceteræ partes ætatis bene descriptæ sint, extremum actum, tanquam ab inerti poeta, esse neglectum. Sed tamen necesse fuit esse aliquid extremum, et, tanquam in arborum baccis terræque frugibus, maturitate tempestivâ quasi vietum et caducum: quod ferendum est molliter sapienti. Quid enim est aliud, Gigantum modo bellare cum Diis, nisi naturæ repugnare? 6. Lælius. Atqui, Cato, gratissimum nobis, ut etiam pro Scipione pollicear, feceris, si, quoniam speramus, volumus quidem certe, senes fieri, ante multo a te didicerimus, quibus facillime rationibus ingravescentem ætatem ferre possimus. Cato. Faciam vero, Læli; præser-

tim si utrique vestrum, ut dicis, gratum futurum est. Læl. Volumus sane, nisi molestum est, Cato, tanquam aliquam viam longam confeceris, quam nobis quoque ingrediendum sit, istuc, quo pervenisti, videre, quale sit.

III. 7. Cato. Faciam, ut potero, Læli. Sæpe enim interfui querelis meorum æqualium, (*pares* autem *cum paribus*, veteri proverbio, *facillime congregantur*,) quæ Caius Salinator, quæ Spurius Albinus, homines Consulares, nostri fere æquales, deplorare solebant: tum quod voluptatibus carerent, sine quibus vitam nullam putarent; tum quod spernerentur ab iis, a quibus essent coli soliti. Qui mihi non id videbantur accusare, quod esset accusandum. Nam, si id culpâ senectutis accideret, eadem mihi usuvenirent, reliquisque omnibus majoribus natu; quorum ego multorum cognovi senectutem sine querela: qui se et libidinum vinculis laxatos esse non moleste ferrent, nec a suis despicerentur. Sed omnium istiusmodi querelarum in moribus est culpa, non in ætate. Moderati enim et nec difficiles nec inhumani senes tolerabilem agunt senectutem: importunitas autem et inhumanitas omni ætati molesta est. 8. Læl. Est, ut dicis, Cato. Sed fortasse dixerit quispiam, tibi propter opes et copias et dignitatem tuam tolerabiliorem senectutem videri; id autem non posse multis contingere. Cato. Est istuc quidem, Læli, aliquid; sed nequaquam in isto sunt omnia: ut Themistocles fertur Seriphio cuidam in jurgio respondisse, quum ille dixisset, non eum suâ, sed patriæ gloriâ splendorem assecutum: *nec hercule*, inquit, *si ego Seriphius essem, nobilis, nec tu, si Atheniensis esses, clarus unquam fuisses.* Quod eodem modo de senectute potest dici. Neque enim in summa inopia levis esse senectus potest, ne sapienti quidem: nec insipienti etiam in summa copia non gravis. 9. Aptissima omnino sunt, Scipio et Læli, arma senectutis, artes exercitationesque virtutum, quæ, in omni ætate cultæ, quum multum diuque vixeris, mirificos efferunt fructus, non solum quia nunquam deserunt, ne in extremo quidem tempore ætatis, (quanquam id maximum est,) verum etiam, quia conscientia bene actæ vitæ multorumque benefactorum recordatio jucundissima est.

IV. 10. Ego Quintum Maximum, eum, qui Taren-

tum recepit, adolescens, ita dilexi senem, ut æqualem. Erat enim in illo viro comitate condita gravitas; nec senectus mores mutaverat. Quanquam eum colere cœpi non admodum grandem natu, sed tamen jam ætate provectum. Anno enim post Consul primùm fuerat, quàm ego natus sum: cumque eo quartùm Consule adolescentulus miles profectus sum ad Capuam, quintoque anno post ad Tarentum. Quæstor deinde [Ædilis], quadriennio post factus sum [Prætor]: quem magistratum gessi Consulibus Tuditano et Cethego, quum quidem ille, admodum senex, suasor legis Cinciæ de donis et muneribus fuit. Hic et bella gerebat, ut adolescens, quum plane grandis esset, et Hannibalem juveniliter exsultantem patientiâ suâ molliebat: de quo præclare familiaris noster Ennius:

> Unus homo nobis cunctando restituit rem.
> Non hic ponebat rumores ante salutem.
> Ergo postque magisque viri nunc gloria claret.

11. Tarentum vero quâ vigilantiâ, quo consilio recepit! quum quidem, me audiente, Salinatori, qui, amisso oppido, fugerat in arcem, glorianti atque ita dicenti: *Meâ operâ, Quinte Fabi, Tarentum recepisti:* "*Certe,* inquit ridens: *nam nisi tu amisisses, nunquam recepissem.*" Nec vero in armis præstantior, quam in toga; qui Consul iterum, Spurio Carvilio collegâ quiescente, Caio Flaminio Tribuno plebis, quoad potuit, restitit, agrum Picenum et Gallicum viritim contra Senatus auctoritatem dividenti: augurque quum esset, dicere ausus est, optimis auspiciis ea geri, quæ pro reipublicæ salute gererentur; quæ contra rempublicam ferrentur, contra auspicia ferri. 12. Multa in eo viro præclara cognovi: sed nihil est admirabilius, quam quomodo ille mortem [Marci] filii tulit, clari viri et Consularis. Est in manibus laudatio: quam quum legimus, quem philosophum non contemnimus? Nec vero ille in luce modo atque in oculis civium magnus, sed intus domique præstantior. Qui sermo! quæ præcepta! quanta notitia antiquitatis! quæ scientia juris augurii! Multæ etiam, ut in homine Romano, litteræ. Omnia memoriâ tenebat, non domestica solum, sed etiam externa bella. Cujus sermone ita tum cupide fruebar, quasi jam divinarem, id quod evenit, illo exstincto, fore, unde discerem, neminem.

V. 13. Quorsum igitur hæc tam multa de Maximo? Quia profecto videtis, nefas esse dictu, miseram fuisse talem senectutem. Nec tamen omnes possunt esse Scipiones aut Maximi, ut urbium expugnationes, ut pedestres navalesve pugnas, ut bella a se gesta, ut triumphos recordentur. Est etiam quietè et purè et eleganter actæ ætatis placida ac lenis senectus: qualem accepimus Platonis, qui uno et octogesimo anno scribens mortuus est; qualem Isocratis, qui eum librum, qui Panathenaicus inscribitur, quarto et nonagesimo anno scripsisse se dicit, vixitque quinquennium postea: cujus magister Leontinus Gorgias centum et septem complevit annos; neque unquam in suo studio atque opere cessavit. Qui, quum ex eo quæreretur, cur tamdiu vellet esse in vita: *nihil habeo*, inquit, *quod incusem senectutem*. Præclarum responsum et docto homine dignum! 14. Sua enim vitia insipientes et suam culpam in senectutem conferunt. Quod non faciebat is, cujus modò mentionem feci, Ennius.

> Sicut fortis equus, spatio qui sæpe supremo
> Vicit Olympia, nunc senio confectu' quiescit.

Equi fortis et victoris senectuti comparat suam. Quam quidem probe meminisse potestis. Anno enim undevicesimo post ejus mortem hi Consules, Titus Flamininus et Marcus Acilius, facti sunt: ille autem Cæpione, et Philippo iterum, Consulibus, mortuus est: quum ego quidem, v et LX annos natus, legem Voconiam voce magnâ et bonis lateribus suasissem. Annos LXX natus (tot enim vixit Ennius) ita ferebat duo, quæ maxima putantur onera, paupertatem et senectutem, ut eis pæne delectari videretur. 15. Etenim, quum contemplor animo, reperio quattuor caussas, cur senectus misera videatur; unam, quod avocet a rebus gerendis: alteram, quod corpus faciat infirmius: tertiam, quod privet omnibus fere voluptatibus: quartam, quod haud procul absit a morte. Earum, si placet, caussarum quanta quamque sit justa unaquæque, videamus.

VI. A rebus gerendis senectus abstrahit? Quibus? An iis, quæ geruntur juventute et viribus? Nullæne igitur res sunt seniles, quæ, vel infirmis corporibus, animo tamen administrentur? Nihil ergo agebat Quintus Max-

imus? nihil Lucius Paullus, pater tuus, Scipio, socer optimi viri, filii mei? Ceteri senes, Fabricii, Curii, Coruncanii, quum rempublicam consilio et auctoritate defendebant, nihil agebant? 16. Ad Appii Claudii senectutem accedebat etiam, ut cæcus esset: tamen is, quum sententia Senatus inclinaret ad pacem et fœdus faciendum cum Pyrrho, non dubitavit dicere illa, quæ versibus persecutus est Ennius:

> Quò vobis mentes, rectæ quæ stare solebant
> Antehac, dementes sese flexere?

ceteraque gravissime: notum enim vobis carmen est: et tamen ipsius Appii extat oratio. Atque hæc ille egit septem et decem annis post alterum Consulatum, quum inter duos Consulatus anni decem interfluxissent, Censorque ante Consulatum superiorem fuisset: ex quo intelligitur, Pyrrhi bello grandem sane fuisse: et tamen sic a patribus accepimus. 17. Nihil igitur afferunt, qui in re gerendâ versari senectutem negant; similesque sunt, ut si qui gubernatorem in navigando agere nihil dicant, quum alii malos scandant, alii per foros cursent, alii sentinam exhauriant: ille autem, clavum tenens, sedeat in puppi quietus. Non faci[a]t ea, quæ juvenes: at vero multo majora et meliora facit. Non viribus aut velocitatibus aut celeritate corporum res magnæ geruntur, sed consilio, auctoritate, sententiâ; quibus non modo non orbari, sed etiam augeri senectus solet. 18. Nisi forte ego vobis, qui et miles et Tribunus et Legatus et Consul versatus sum in vario genere bellorum, cessare nunc videor, quum bella non gero. At Senatui, quæ sunt gerenda, præscribo, et quomodo: Karthagini, male jam diu cogitanti, bellum multò ante denuntio: de qua vereri non ante desinam, quam illam excisam esse cognovero. 19. Quam palmam utinam Dii immortales tibi, Scipio, reservent, ut avi reliquias persequare! Cujus a morte hic quintus et tricesimus est annus: sed memoriam illius viri excipient omnes anni consequentes. Anno ante me Censorem mortuus ets, [I]x annis post meum Consulatum, quum consul iterum, me Consule, creatus esset. Num igitur, si ad centesimum annum vixisset, senectutis eum suæ pœniteret? Nec enim excursione, nec saltu, nec eminus hastis aut cominus gladiis uteretur, sed consilio, ratione, senten-

tiâ. Quæ nisi essent in senibus, non summum consilium majores nostri appellassent Senatum. 20. Apud Lacedæmonios quidem ii, qui amplissimum magistratum gerunt, ut sunt, sic etiam nominantur senes. Quod si legere aut audire voletis externa, maximas respublicas ab adolescentibus labefactas, a senibus sustentatas [et restitutas] reperietis.

> Cedò, quî vestram rempublicam tantam amisistis tam citò ?

Sic enim percunctantur, ut est in Nævii Ludo. Respondentur et alia, et hæc in primis :

> Proveniebant oratores novi, stulti, adolescentuli.

Temeritas est videlicet florentis ætatis, prudentia senescentis. At memoria minuitur. Credo, nisi eam exerceas, aut si sis naturâ tardior.

VII. 21. Themistocles omnium civium nomina perceperat. Num igitur censetis, eum, quum ætate processisset, qui Aristides esset, Lysimachum salutare solitum ? Equidem non modo eos novi, qui sunt, sed eorum patres etiam et avos. Nec, sepulcra legens, vereor, quod aiunt, ne memoriam perdam : his enim ipsis legendis redeo in memoriam mortuorum. Nec vero quenquam senum audivi oblitum, quo loco thesaurum obruisset. Omnia, quæ curant, meminerunt : vadimonia constituta : qui sibi, quibus ipsi debeant. 22. Quid jurisconsulti ? quid pontifices ? quid augures ? quid philosophi senes ? quam multa meminerunt ! Manent ingenia senibus, modo permaneat studium et industria : nec ea solum in claris et honoratis viris, sed in vitâ etiam privatâ et quietâ. Sophocles ad summam senectutem tragœdias fecit. Quod propter studium quum rem familiarem negligere videretur, a filiis in judicium vocatus est, ut, quemadmodum nostro more male rem gerentibus patribus bonis interdici solet, sic illum, quasi desipientem, a re familiari removerent judices. Tum senex dicitur eam fabulam, quam in manibus habebat et proxime scripserat, Œdipum Coloneum recitasse judicibus, quæsisseque, *num illud carmen desipientis videretur.* Quo recitato, sententiis judicum est liberatus. 23. Num igitur hunc, num Homerum, num Hesiodum, num Simonidem, num Stesichorum, num, quos ante dixi, Isocratem, Gorgiam, num philosophorum principes, Pythagoram, Democritum, num Pla-

tonem, num Xenocratem, num postea Zenonem, Cleanthem, aut eum, quem vos etiam Romæ vidistis, Diogenem Stoicum, coegit in suis studiis obmutescere senectus? an non in omnibus iis studiorum agitatio vitæ æqualis fuit? 24. Age, ut ista divina studia omittamus, possum nominare ex agro Sabino rusticos Romanos, vicinos et familiares meos, quibus absentibus, nunquam fere ulla in agro majora opera fiunt, non serendis, non percipiendis, non condendis fructibus. Quanquam in illis minus hoc mirum. Nemo enim est tam senex, qui se annum non putet posse vivere. Sed iidem elaborant in eis, quæ sciunt nihil omnino ad se pertinere:

Serit arbores, quæ alteri sæclo prosint,

ut ait Statius noster in Synephebis. 25. Nec vero dubitet agricola, quamvis senex, quærenti, cui serat, respondere: *Diis immortalibus, qui me non accipere modo hæc a majoribus voluerunt, sed etiam posteris prodere.*

VIII. Melius Cæcilius de sene alteri sæculo prospiciente, quam illud idem:

Ædepol senectus, si nihil quidquam aliud vitî
Apportes tecum, quum advenis; unum id sat est,
Quod, diu vivendo, multa, quæ non vult, videt.

Et multa fortasse, quæ vult: atque in ea quidem, quæ non vult, sæpe etiam adolescentia incurrit. Illud vero idem Cæcilius vitiosius:

Tum equidem in senectâ hoc deputo miserrimum,
Sentire, eâ ætate esse se odiosum alteri.

26. Jucundum potius, quam odiosum. Ut enim adolescentibus bonâ indole præditis sapientes senes delectantur, leviorque fit eorum senectus, qui a juventute coluntur et diliguntur, sic adolescentes senum præceptis gaudent, quibus ad virtutum studia ducuntur. Nec minus intelligo me vobis, quam vos mihi esse jucundos. Sed videtis, ut senectus non modo languida atque iners non sit, verum etiam sit operosa et semper agens aliquid et moliens; tale scilicet, quale cujusque studium in superiore vita fuit. Quid, quod etiam addiscunt aliquid? ut Solonem versibus gloriantem videmus, qui *se, quotidie aliquid addiscentem, senem fieri* dicit: ut ego feci, qui Græcas litteras senex didici; quas quidem sic avide arripui, quasi diuturnam sitim explere cupiens, ut ea ipsa mihi nota essent,

quibus me nunc exemplis uti videtis. Quod quum fecisse Socratem in fidibus audirem, vellem equidem et illud: discebant enim fidibus antiqui: sed in litteris certe elaboravi.

IX. 27. Nec nunc equidem vires desidero adolescentis, (is enim erat locus alter de vitiis senectutis) non plus quam adolescens tauri aut elephanti desiderabam. Quod est, eo decet uti; et, quidquid agas, agere pro viribus. Quæ enim vox potest esse contemptior quam Milonis Crotoniatæ? qui, quum jam senex esset, athletasque se in curriculo exercentes videret, adspexisse lacertos suos dicitur, illacrimansque dixisse: *At hi quidem jam mortui sunt.* Non vero tam isti, quam tu ipse, nugator. Neque enim ex te unquam es nobilitatus, sed ex lateribus et lacertis tuis. Nihil Sextus Ælius tale, nihil multis annis ante Tiberius Coruncanius: nihil modo Publius Crassus; a quibus jura civibus præscribebantur: quorum usque ad extremum spiritum est provecta prudentia. 28. Orator, metuo, ne languescat senectute. Est enim munus ejus non ingenii solum, sed laterum etiam et virium. Omnino canorum illud in voce splendescit etiam, nescio quo pacto, in senectute: quod equidem adhuc non amisi; et videtis annos: sed tamen decorus est sermo senis, quietus et remissus; facitque persæpe ipsa sibi audientiam diserti senis compta et mitis oratio. Quod si ipse exsequi nequeas, possis tamen Scipioni præcipere et Lælio. Quid enim jucundius senectute, stipatâ studiis juventutis? 29. An ne eas quidem vires senectuti relinquemus, ut adolescentulos doceat, instituat, ad omne officii munus instruat? Quo quidem opere quid potest esse præclarius? Mihi vero Cneus et Publius Scipiones et avi tui duo, Lucius Æmilius et Publius Africanus, comitatu nobilium juvenum fortunati videbantur. Nec ulli bonarum artium magistri non beati putandi, quamvis consenuerint vires atque defecerint. Etsi ista ipsa defectio virium adolescentiæ vitiis efficitur sæpius quam senectutis. Libidinosa etenim et intemperans adolescentia effetum corpus tradit senectuti. 30. Cyrus quidem apud Xenophontem eo sermone, quem moriens habuit, quum admodum senex esset, negat se unquam sensisse, senectutem suam im-

becilliorem factam, quam adolescentia fuisset. Ego Lucium Metellum memini puer,—qui quum quadriennio post alterum Consulatum Pontifex maximus factus esset, viginti et duos annos ei sacerdotio præfuit,—ita bonis esse viribus extremo tempore ætatis, ut adolescentiam non requireret. Nihil necesse est mihi de me ipso dicere: quanquam est id quidem senile ætatique nostræ conceditur.

X. 31. Videtisne ut apud Homerum sæpissime Nestor de virtutibus suis prædicet? Tertiam enim jam ætatem hominum vivebat; nec erat ei verendum ne, vera de se prædicans, nimis videretur aut insolens aut loquax. Etenim, ut ait Homerus, *ex ejus lingua melle dulcior fluebat oratio*: quam ad suavitatem nullis egebat corporis viribus: et tamen dux ille Græciæ nusquam optat, ut Ajacis similes habeat decem, at ut Nestoris; quod si acciderit, non dubitat quin brevi Troja sit peritura. 32. Sed redeo ad me. Quartum annum ago et octogesimum: equidem posse vellem idem gloriari, quod Cyrus: sed tamen hoc queo dicere, non me quidem iis esse viribus, quibus aut miles bello Punico, aut Quæstor eodem bello, aut Consul in Hispania fuerim, aut quadriennio post, quum Tribunus militaris depugnavi apud Thermopylas, Marco Acilio Glabrione Consule: sed tamen, ut vos videtis, non plane me enervavit nec afflixit senectus: non curia vires meas desiderat, non Rostra, non amici, non clientes, non hospites. Nec enim unquam sum assensus veteri illi laudatoque proverbio, quod monet, *mature fieri senem, si diu velis esse senex.* Ego vero me minus diu senem esse mallem, quam esse senem ante, quam essem. Itaque nemo adhuc convenire me voluit, cui fuerim occupatus. 33. At minus habeo virium, quam vestrum utervis. Ne vos quidem Titi Pontii centurionis vires habetis: num idcirco est ille præstantior? Moderatio modo virium adsit, et tantum, quantum potest, quisque nitatur: næ ille non magno desiderio tenebitur virium. Olympiæ per stadium ingressus esse Milo dicitur, quum humeris sustineret bovem vivum. Utrum igitur has corporis, an Pythagoræ tibi malis vires ingenii dari? Denique isto bono utare, dum adsit; quum absit, ne requiras: nisi forte adolescentes pueriti-

am, paullum ætate progressi adolescentiam debent requirere. Cursus est certus ætatis, et una via naturæ, eaque simplex : suaque cuique parti ætatis tempestivitas est data ; ut et infirmitas puerorum, et ferocitas juvenum, et gravitas jam constantis ætatis, et senectutis maturitas naturale quiddam habeat, quod suo tempore percipi debeat. 34. Arbitror te audire, Scipio, hospes tuus avitus, Masinissa, quæ faciat hodie, nonaginta annos natus : quum ingressus iter pedibus sit, in equum omnino non adscendere : quum equo, ex equo non descendere : nullo imbre, nullo frigore adduci, ut capite operto sit : summam in eo esse corporis siccitatem : itaque exsequi omnia Regis officia et munera. Potest igitur exercitatio et temperantia etiam in senectute conservare aliquid pristini roboris.

XI. Non sunt in senectute vires ? Ne postulantur quidem vires a senectute. Ergo et legibus et institutis vacat ætas nostra muneribus iis, quæ non possunt sine viribus sustineri. Itaque non modo, quod non possumus, sed ne quantum possumus quidem, cogimur. 35. At ita multi sunt imbecilli senes, ut nullum officii aut omnino vitæ munus exsequi possint. At id quidem non proprium senectutis est vitium, sed commune valetudinis. Quam fuit imbecillus Publii Africani filius is, qui te adoptavit! quam tenui aut nullâ potius valetudine ! Quod ni ita fuisset, alterum ille exstitisset lumen civitatis. Ad paternam enim magnitudinem animi doctrina uberior accesserat. Quid mirum igitur in senibus, si infirmi sunt aliquando, quum id ne adolescentes quidem effugere possint ? Resistendum, Læli et Scipio, senectuti est, ejusque vitia diligentiâ compensanda sunt. Pugnandum, tanquam contra morbum, sic contra senectutem. 36. Habenda ratio valetudinis : utendum exercitationibus modicis : tantum cibi et potionis adhibendum, ut reficiantur vires, non opprimantur. Nec vero corpori soli subveniendum est, sed menti atque animo multo magis. Nam hæc quoque, nisi tanquam lumini oleum instilles, exstinguuntur senectute. Et corpora quidem defatigatione [et exercitatione] ingravescunt : animi autem [se] exercendo levantur. Nam quos ait Cæcilius

—— comicos stultos senes,

hos significat credulos, obliviosos, dissolutos; quæ vitia sunt non senectutis, sed inertis, ignavæ, somniculosæ senectutis. Ut petulantia, ut libido magis est adolescentium, quam senum; nec tamen omnium adolescentium, sed non proborum; sic ista senilis stultitia, quæ deliratio appellari solet, senum levium est, non omnium. 37. Quattuor robustos filios, quinque filias, tantam domum, tantas clientelas Appius regebat, et senex et cæcus. Intentum enim animum, tanquam arcum, habebat, nec languescens succumbebat senectuti. Tenebat non modo auctoritatem, sed etiam imperium in suos: metuebant servi, verebantur liberi, carum omnes habebant: vigebat in illa domo patrius mos et disciplina. 38. Ita enim senectus honesta est, si se ipsa defendit, si jus suum retinet, si nemini emancipata est, si usque ad extremum spiritum dominatur in suos. Ut enim adolescentem, in quo senile aliquid; sic senem, in quo est adolescentis aliquid, probo: quod qui sequitur, corpore senex esse poterit, animo nunquam erit. Septimus mihi Originum liber est in manibus; omnia antiquitatis monumenta colligo: caussarum illustrium, quascunque defendi, nunc quum maxime conficio orationes: jus augurum, pontificum, civile tracto: multùm etiam Græcis litteris utor; Pythagoreorumque more exercendæ memoriæ gratiâ, quid quoque die dixerim, audierim, egerim, commemoro vesperi. Hæ sunt exercitationes ingenii, hæc curricula mentis: in his desudans atque elaborans, corporis vires non magnopere desidero. Adsum amicis: venio in Senatum frequens, ultroque affero res multùm et diu cogitatas, easque tueor animi, non corporis viribus. Quæ si exsequi nequirem, tamen me lectulus oblectaret meus, ea ipsa cogitantem, quæ jam agere non possem: sed ut possim, facit acta vita. Semper enim in his studiis laboribusque viventi non intelligitur, quando obrepat senectus. Ita sensim sine sensu ætas senescit; nec subito frangitur, sed diuturnitate exstinguitur.

XII. 39. Sequitur tertia vituperatio senectutis, quod eam carere dicunt voluptatibus. O præclarum munus ætatis, si quidem id aufert nobis, quod est in adolescentia vitiosissimum! Accipite enim, optimi adolescentes, veterem orationem Archytæ Tarentini, magni in primis

et præclari viri, quæ mihi tradita est, quum essem adolescens Tarenti cum Quinto Maximo. [*Nullam capitaliorem pestem, quam corporis voluptatem, hominibus* dicebat *a natura datam; cujus voluptatis avidæ libidines temere et effrenate ad potiundum incitarent*[*ur*]. 40. *Hinc patriæ proditiones, hinc rerumpublicarum eversiones, hinc cum hostibus clandestina colloquia nasci: nullum denique scelus, nullum malum facinus esse, ad quod suscipiendum non libido voluptatis impelleret; stupra vero et adulteria et omne tale flagitium nullis aliis illecebris excitari, nisi voluptatis. Quumque homini sive natura sive quis Deus nihil mente præstabilius dedisset; huic divino muneri ac dono nihil esse tam inimicum, quam voluptatem.* 41. *Nec enim libidine dominante temperantiæ locum esse, neque omnino in voluptatis regno virtutem posse consistere. Quod quo magis intelligi posset, fingere animo jubebat, tantâ incitatum aliquem voluptate corporis, quanta percipi posset maxima. Nemini censebat fore dubium, quin tamdiu, dum ita gauderet, nihil agitare mente, nihil ratione, nihil cogitatione consequi posset. Quocirca nihil esse tam detestabile tamque pestiferum, quam voluptatem: si quidem ea, quum major esset atque longior, omne animi lumen exstingueret.* Hæc cum Caio Pontio Samnite, patre ejus, a quo Caudino prælio Spurius Postumius, Titus Veturius, Consules, superati sunt, locutum Archytam, Nearchus Tarentinus, hospes noster, qui in amicitia populi Romani permanserat, se a majoribus natu accepisse dicebat, quum quidem ei sermoni interfuisset Plato Atheniensis: quem Tarentum venisse Lucio Camillo, Appio Claudio Consulibus, reperio. 42. Quorsus hæc? Ut intelligatis, si voluptatem aspernari ratione et sapientiâ non possemus, magnam habendam senectuti gratiam, quæ effecerit, ut id non liberet, quod non oporteret. Impedit enim consilium voluptas, rationi inimica: ac mentis, ut ita dicam, præstringit oculos; nec habet ullum cum virtute commercium. Invitus quidem feci, ut fortissimi viri Titi Flaminini fratrem Lucium Flamininum e Senatu ejicerem, octo annis post, quam Consul fuisset: sed notandam putavi libidinem. Ille enim quum esset Consul, in Gallia exoratus in convivio a scorto est, ut securi feriret aliquem eorum, qui in vinculis essent

damnati rei capitalis. Hic, Tito, fratre suo, Censore, qui proximus ante me fuerat, elapsus est; mihi vero et Flacco neutiquam probari potuit tam flagitiosa et tam perdita libido, quæ cum probro privato conjungeret imperii dedecus.

XIII. 43. Sæpe audivi a majoribus natu, qui se porro pueros a senibus audisse dicebant, mirari solitum Caium Fabricium, quod, quum apud Regem Pyrrhum legatus esset, audisset a Thessalo Cinea, esse quendam Athenis, qui se sapientem profiteretur, eumque dicere, omnia, quæ faceremus, ad voluptatem esse referenda: quod ex eo audientes, Manium Curium et Tiberium Coruncanium optare solitos, ut id Samnitibus ipsique Pyrrho persuaderetur, quo facilius vinci possent, quum se voluptatibus dedissent. Vixerat Manius Curius cum Publio Decio, qui quinquennio ante eum Consulem se pro republica quarto Consulatu devoverat. Norat eundem Fabricius, norat Coruncanius: qui quum ex sua vita, tum ex ejus, quem dico, Publii Decii facto, judicabant, esse profecto aliquid naturâ pulchrum atque præclarum, quod suâ sponte peteretur, quodque, spretâ et contemptâ voluptate, optimus quisque sequeretur. 44. Quorsum igitur tam multa de voluptate? Quia non modo vituperatio nulla, sed etiam summa laus senectutis est, quod ea voluptates nullas magnopere desiderat. At caret epulis exstructisque mensis et frequentibus poculis? Caret ergo [etiam] vinolentiâ et cruditate et insomniis. Sed si aliquid dandum est volupt ti, quoniam ejus blanditiis non facile obsistimus, (divine enim Plato *escam malorum voluptatem* appellat, *quod eâ videlicet homines capiantur, ut hamo pisces*:) quanquam immoderatis epulis caret senectus, modicis tamen conviviis delectari potest. Caium Duillium, Marci filium, qui Pœnos classe primus devicerat, redeuntem a cœna senem sæpe videbam puer; delectabatur crebro funali et tibicine, quæ sibi nullo exemplo privatus sumpserat: tantum licentiæ dabat gloria. 45. Sed quid ego alios? Ad meipsum jam revertar. Primùm habui semper sodales. Sodalitates autem me Quæstore constitutæ sunt, sacris Idæis Magnæ Matris acceptis. Epulabar igitur cum sodalibus omnino modice, sed erat quidam fervor ætatis; qua progrediente, omnia

fiunt indies mitiora. Neque enim ipsorum conviviorum delectationem voluptatibus corporis magis, quam cœtu amicorum et sermonibus metiebar. Bene enim majores nostri *accubitionem epularem amicorum,* quia vitæ conjunctionem haberet, *convivium nominarunt;* melius, quam *Græci,* qui hoc idem tum *compotationem,* tum *concœnationem* vocant: ut, quod in eo genere minimum est, id maxime probare videantur.

XIV. 46. Ego vero propter sermonis delectationem tempestivis quoque conviviis delector, nec cum æqualibus solùm, qui pauci admodum restant, sed cum vestra etiam ætate atque vobiscum: habeoque senectuti magnam gratiam, quæ mihi sermonis aviditatem auxit, potionis et cibi sustulit. Quod si quem etiam ista delectant (ne omnino bellum indixisse videar voluptati, cujus est [etiam] fortasse quidam naturalis modus:) non intelligo, ne in istis quidem voluptatibus ipsis, carere sensu senectutem. Me vero et magisteria delectant, a majoribus instituta: et is sermo, qui more majorum a summo adhibetur in poculis; et pocula, sicut in symposio Xenophontis, minuta atque rorantia, et refrigeratio æstate, et vicissim aut sol aut ignis hibernus. Quæ quidem in Sabinis etiam persequi soleo, conviviumque vicinorum quotidie compleo; quod ad multam quam maxime possumus, vario sermone producimus. 47. At non est voluptatum tanta quasi titillatio in senibus. Credo: sed ne desideratio quidem. Nihil autem molestum, quod non desideres. Bene Sophocles, quum ex eo quidam jam affecto ætate quæreret, utereturne rebus venereis: *Dii meliora!* inquit: *libenter vero istinc, tanquam a domino agresti ac furioso, profugi.* Cupidis enim rerum talium odiosum et molestum est fortasse carere: satiatis vero et expletis jucundius est carere, quam frui. Quanquam non caret is, qui non desiderat. Ergo hoc non desiderare, dico esse jucundius, quam frui. 48. Quod si istis ipsis voluptatibus bona ætas fruitur libentius; primum parvulis fruitur rebus, ut diximus: deinde iis, quibus senectus, si non abunde potitur, non omnino caret. Ut Turpione Ambivio magis delectatur, qui in prima cavea spectat; delectatur tamen etiam, qui in ultima: sic adolescentia voluptates prope intuens magis

fortasse lætatur: sed delectatur etiam senectus procul eas spectans, tantum, quantum sat est. 49. At illa quanti sunt, animum, tanquam emeritis stipendiis libidinis, ambitionis, contentionis, inimicitiarum, cupiditatum omnium, secum esse, secumque, ut dicitur, vivere! Si vero habet aliquod tanquam pabulum studii atque doctrinæ, nihil est otiosâ senectute jucundius. Mori pæne videbamus in studio dimetiundi cæli atque terræ Caium Gallum, familiarem patris tui, Scipio. Quoties illum lux, noctu aliquid describere ingressum, quoties nox oppressit, quum mane cœpisset! Quam delectabat eum, defectiones solis et lunæ multo nobis ante prædicere! 50. Quid in levioribus studiis, sed tamen acutis? Quam gaudebat bello suo Punico Nævius! quam Truculento Plautus! quam Pseudolo! Vidi etiam senem Livium: qui quum sex annis ante, quam ego natus sum, fabulam docuisset, Centone Tuditanoque Consulibus, usque ad adolescentiam meam processit ætate. Quid de Publii Licinii Crassi et pontificii et civilis juris studio loquar? aut de hujus Publii Scipionis, qui his paucis diebus Pontifex maximus factus est? Atqui eos omnes, quos commemoravi, his studiis flagrantes senes vidimus. Marcum vero Cethegum, quem recte *Suadœ medullam* dixit Ennius, quanto studio exerceri in dicendo videbamus, etiam senem! Quæ sunt igitur epularum aut ludorum aut scortorum voluptates cum his voluptatibus comparandæ? Atque hæc quidem studia doctrinæ. Quæ quidem prudentibus et bene institutis pariter cum ætate crescunt: ut honestum illud Solonis sit, quod ait versiculo quodam, ut ante dixi, *senescere se, multa indies addiscentem:* qua voluptate animi nulla certe potest esse major.

XV. 51. Venio nunc ad voluptates agricolarum, quibus ego incredibiliter delector: quæ nec ullâ impediuntur senectute, et mihi ad sapientis vitam proxime videntur accedere. Habent enim rationem cum terra, quæ nunquam recusat imperium, nec unquam sine usura reddit, quod accepit: sed alias minore, plerumque majore cum fenore. Quanquam me quidem non fructus modo sed etiam ipsius terræ vis ac natura delectat: quæ quum gremio mollito ac subacto semen sparsum excepit,

primum id occæcatum cohibet ; ex quo *occatio*, quæ hoc efficit, nominata est ; deinde tepefactum vapore et compressu suo diffundit, et elicit herbescentem ex eo viriditatem : quæ, nixa fibris stirpium, sensim adolescit, culmoque erecta geniculato, vaginis jam quasi pubescens includitur ; e quibus quum emersit, fundit frugem spici, ordine structam, et contra avium minorum morsus munitur vallo aristarum. 52. Quid ego vitium satus, ortus, incrementa commemorem ? Satiari delectatione non possum ; ut meæ senectutis requietem oblectamentaque noscatis. Omitto enim vim ipsam omnium, quæ generantur e terra : quæ ex fici tantulo grano aut ex acino vinaceo aut ex ceterarum frugum ac stirpium minutissimis seminibus tantos truncos ramosque procreat : malleoli, plantæ, sarmenta, viviradices, propagines, nonne ea efficiunt, ut quemvis cum admiratione delectent ? Vitis quidem, quæ naturâ caduca est, et, nisi fulta sit, ad terram fertur, eadem, ut se erigat, claviculis suis, quasi manibus, quidquid est nacta, complectitur : quam serpentem multiplici lapsu et erratico, ferro amputans, coercet ars agricolarum, ne silvescat sarmentis et in omnes partes nimia fundatur. 53. Itaque ineunte vere in iis, quæ relicta sunt, exsistit tanquam ad articulos sarmentorum ea quæ gemma dicitur : a qua oriens uva sese ostendit : quæ, et succo terræ et calore solis augescens, primo est peracerba gustatu, deinde maturata dulcescit ; vestitaque pampinis, nec modico tepore caret, et nimios solis defendit ardores. Qua quid potest esse quum fructu lætius, tum adspectu pulchrius ? Cujus quidem non utilitas me solum, ut ante dixi, sed etiam cultura et ipsa natura delectat : adminiculorum ordines, capitum jugatio, religatio et propagatio vitium, sarmentorumque ea, quam dixi, aliorum amputatio, aliorum immissio. Quid ego irrigationes ? quid fossiones agri repastinationesque proferam, quibus fit multò terra fecundior ? 54. Quid de utilitate loquar stercorandi ? Dixi in eo libro, quem *de rebus rusticis* scripsi : de qua doctus Hesiodus ne verbum quidem fecit, quum de cultura agri scriberet. At Homerus, qui multis, ut mihi videtur, ante sæculis fuit, Laertem, lenientem desiderium, quod capiebat e filio, colentem agrum et eum stercorantem facit. Nec vero

segetibus solum et pratis et vineis et arbustis res rusticæ lætæ sunt, sed etiam hortis et pomariis: tum pecudum pastu, apium examinibus, florum omnium varietate. Nec consitiones modo delectant, sed etiam insitiones; quibus nihil invenit agricultura sollertius.

XVI. 55. Possum persequi multa oblectamenta rerum rusticarum: sed ea ipsa, quæ dixi, fuisse sentio longiora. Ignoscetis autem. Nam et studio rerum rusticarum provectus sum, et senectus est naturâ loquacior: ne ab omnibus eam vitiis videar vindicare. Ergo in hac vita Manius Curius, quum de Samnitibus, de Sabinis, de Pyrrho triumphasset, consumpsit extremum tempus ætatis: cujus quidem villam ego contemplans, (abest enim non longe a me,) admirari satis non possum vel hominis ipsius continentiam vel temporum disciplinam. Curio, ad focum sedenti, magnum auri pondus Samnites quum attulissent, repudiati sunt. Non enim, aurum habere, præclarum sibi videri dixit, sed iis, qui haberent aurum, imperare. 56. Poteratne tantus animus non jucundam efficere senectutem? Sed venio ad agricolas, ne a me ipso recedam. In agris erant tum Senatores, id est senes: si quidem aranti Lucio Quinctio Cincinnato nuntiatum est, eum Dictatorem esse factum: cujus Dictatoris jussu magister equitum Caius Servilius Ahala Spurium Mælium, regnum appetentem, occupatum interemit. A villa in Senatum arcessebantur et Curius, et ceteri senes: ex quo, qui eos arcessebant, viatores nominati sunt. Num igitur eorum senectus miserabilis fuit, qui se agri cultione oblectabant? Meâ quidem sententiâ haud scio an nulla beatior esse possit: neque solum officio, quod hominum generi universo cultura agrorum est salutaris, sed et delectatione, quam dixi, et saturitate copiâque omnium rerum, quæ ad victum hominum, ad cultum etiam Deorum pertinent: ut, quoniam hæc quidam desiderant, in gratiam jam cum voluptate redeamus. Semper enim boni assiduique domini referta cella vinaria, olearia, etiam penaria est, villaque tota locuples est: abundat porco, hædo, agno, gallinâ, lacte, caseo, melle. Jam hortum ipsi agricolæ succidiam alteram appellant. [Tum] conditiora facit hæc supervacanei [etiam] operis aucupium atque venatio. 57. Quid de pratorum virid-

itate, aut arborum ordinibus, aut vinearum olivetorumque specie dicam? Brevi præcidam. Agro bene culto nil potest esse nec usu uberius, nec specie ornatius: ad quem fruendum non modo non retardat, verum etiam invitat atque allectat senectus. Ubi enim potest illa ætas aut calescere vel apricatione melius vel igni, aut vicissim umbris aquisve refrigerari salubrius? 58. Sibi igitur habeant arma, sibi equos, sibi hastas, sibi clavam, sibi pilam, sibi natationes et cursus; nobis senibus ex lusionibus multis talos relinquant et tesseras; id ipsum utrum lubebit: quoniam sine his beata esse senectus potest.

XVII. 59. Multas ad res perutiles Xenophontis libri sunt: quos legite, quæso, studiose, ut facitis. Quam copiose ab eo agricultura laudatur in eo libro, qui est de tuenda re familiari, qui Œconomicus inscribitur! Atque ut intelligatis, nihil ei tam regale videri, quam studium agri colendi, Socrates in eo libro loquitur cum Critobulo, Cyrum minorem, Regem Persarum, præstantem ingenio atque imperii gloriâ, quum Lysander Lacedæmonius, vir summæ virtutis, venisset ad eum Sardis, eique dona a sociis attulisset: et ceteris in rebus comem erga Lysandrum atque humanum fuisse, et ei quendam conseptum agrum, diligentur consitum, ostendisse: quum autem admiraretur Lysander et proceritates arborum, et directos in quincuncem ordines, et humum subactam atque puram, et suavitatem odorum, qui afflarentur e floribus: tum dixisse, mirari se non modo diligentiam, sed etiam sollertiam ejus, a quo essent illa dimensa atque descripta: et ei Cyrum respondisse: *Atqui ego omnia ista sum dimensus; mei sunt ordines, mea descriptio; multæ etiam istarum arborum mea manu sunt satæ.* Tum Lysandrum, intuentem ejus purpuram et nitorem corporis ornatumque Persicum multo auro multisque gemmis, dixisse: *Recte vero te, Cyre, beatum ferunt, quoniam virtuti tuæ fortuna conjuncta est.* 60. Hac igitur fortuna frui licet senibus: nec ætas impedit, quo minus et ceterarum rerum, et in primis agri colendi studia teneamus usque ad ultimum tempus senectutis. Marcum quidem Valerium Corvum accepimus ad centesimum annum perduxisse, quum esset acta jam ætate in agris, eosque coleret: cu-

jus inter primum et sextum Consulatum sex et quadraginta anni interfuerunt. Itaque quantum spatium ætatis majores nostri ad senectutis initium esse voluerunt, tantus illi cursus honorum fuit. Atque ejus extrema ætas hoc beatior, quam media, quod auctoritatis plus habebat, laboris vero minus. Apex autem senectutis est auctoritas. 61. Quanta fuit in Lucio Cæcilio Metello! quanta in Attilio Calatino! in quem illud elogium unicum: PLURIMÆ CONSENTIUNT GENTES, POPULI PRIMARIUM FUISSE VIRUM. Notum est carmen, incisum in sepulcro. Jure igitur gravis, cujus de laudibus omnium esset fama consentiens. Quem virum Publium Crassum, nuper Pontificem maximum, quem postea Marcum Lepidum, eodem sacerdotio præditum, vidimus! Quid de Paullo aut Africano loquar, aut, ut jam ante, de Maximo? quorum non in sententia solum, sed etiam in nutu residebat auctoritas. Habet senectus, honorata præsertim, tantam auctoritatem, ut ea pluris sit, quam omnes adolescentiæ voluptates.

XVIII. 62. Sed in omni oratione, mementote, eam me laudare senectutem, quæ fundamentis adolescentiæ constituta sit. Ex quo id efficitur, quod ego magno quondam cum assensu omnium dixi: *Miseram esse senectutem, quæ se oratione defenderet.* Non cani, non rugæ repente auctoritatem arripere possunt: sed honeste acta superior ætas fructus capit auctoritatis extremos. 63. Hæc enim ipsa sunt honorabilia, quæ videntur levia atque communia, salutari, appeti, decedi, assurgi, deduci, reduci, consuli: quæ et apud nos et in aliis civitatibus, ut quæque optime morata, ita diligentissime observantur. Lysandrum Lacedæmonium, cujus modo mentionem feci, dicere aiunt solitum, Lacedæmone esse honestissimum domicilium senectutis. Nusquam enim tantum tribuitur ætati, nusquam est senectus honoratior. Quin etiam memoriæ proditum est, quum Athenis, ludis, quidam in theatrum grandis natu venisset, in magno consessu locum ei a suis civibus nusquam datum; quum autem ad Lacedæmonios accessisset, qui, legati quum essent, certo in loco consederant, consurrexisse omnes, et senem illum sessum recepisse. 64. Quibus quum a cuncto consessu plausus esset multiplex datus, dixisse

ex iis quendam, *Athenienses scire, quæ recta essent, sed facere nolle.* Multa in nostro collegio præclara: sed hoc, de quo agimus, in primis, quod, ut quisque ætate antecedit, ita sententiæ principatum tenet: neque solùm honore antecedentibus, sed iis etiam, qui cum imperio sunt, majores natu augures anteponuntur. Quæ sunt igitur voluptates corporis cum auctoritatis præmiis comparandæ? Quibus qui splendide usi sunt, ii mihi videntur fabulam ætatis peregisse, nec, tanquam inexercitati histriones, in extremo actu corruisse. 65. At sunt morosi et anxii et iracundi et difficiles senes: si quærimus, etiam avari. Sed hæc morum vitia sunt, non senectutis. Ac morositas tamen, et ea vitia, quæ dixi, habent aliquid excusationis, non illius quidem justæ, sed quæ probari posse videatur. Contemni se putant, despici, illudi. Præterea in fragili corpore odiosa omnis offensio est. Quæ tamen omnia dulciora sunt et moribus bonis et artibus; idque tum in vita, tum in scena intelligi potest ex iis fratribus, qui in *Adelphis* sunt. Quanta in altero duritas, in altero comitas! Sic se res habet. Ut enim non omne vinum, sic non omnis ætas vetustate coacescit. Severitatem in senectute probo; sed eam, sicut alia, modicam: acerbitatem nullo modo. Avaritia vero senilis quid sibi velit, non intelligo. Potest enim quidquam esse absurdius, quam, quo minus viæ restat, eo plus viatici quærere?

XIX. 66. Quarta restat caussa, quæ maxime angere atque sollicitam habere nostram ætatem videtur, appropinquatio mortis quæ certe a senectute non potest longe abesse. O miserum senem, qui, mortem contemnendam esse, in tam longa ætate non viderit! quæ aut plane negligenda est, si omnino exstinguit animum, aut etiam optanda, si aliquo eum deducit, ubi sit futurus æternus. Atqui tertium certe nihil inveniri potest. 67. Quid igitur timeam, si aut non miser post mortem, aut beatus etiam futurus sum? Quanquam quis est tam stultus, quamvis sit adolescens, cui sit exploratum, se ad vesperum esse victurum? Quin etiam ætas illa multo plures, quam nostra, mortis casus habet. Facilius in morbos incidunt adolescentes; gravius ægrotant; tristius curantur. Itaque pauci veniunt ad senectutem: quod ni

ita accideret, melius et prudentius viveretur. Mens enim et ratio et consilium in senibus est: qui si nulli fuissent, nullæ omnino civitates essent. Sed redeo ad mortem impendentem. Quod illud est crimen senectutis, quum [illud] videatis cum adolescentia esse commune? 68. Sensi ego quum in optimo filio meo, tum in exspectatis ad amplissimam dignitatem fratribus tuis, Scipio, omni ætati mortem esse communem. At sperat adolescens, diu se victurum: quod sperare idem senex non potest. Insipienter sperat. Quid enim stultius, quam incerta pro certis habere, falsa pro veris? Senex, ne quod speret quidem, habet: at est eo meliore conditione, quam adolescens, quum id, quod ille sperat, hic jam consecutus est. Ille vult diu vivere: hic diu vixit. 69. Quanquam, o Dii boni! quid est in hominis vita diu? Da enim supremum tempus; exspectemus Tartessiorum Regis ætatem: fuit enim, ut scriptum video, Arganthonius quidam Gadibus, qui octoginta regnavit annos, centum et viginti vixit: sed mihi ne diuturnum quidem quidquam videtur, in quo est aliquid extremum. Quum enim id advenit, tunc illud, quod præteriit, effluxit: tantum remanet, quod virtute et recte factis consecutus sis. Horæ quidem cedunt et dies et menses et anni: nec præteritum tempus unquam revertitur, nec, quid sequatur, sciri potest. Quod cuique temporis ad vivendum datur, eo debet esse contentus. 70. Neque enim histrioni, ut placeat, peragenda est fabula; modo, in quocunque fuerit, actu, probetur; nec sapienti usque ad *Plaudite* vivendum. Breve enim tempus ætatis satis est longum ad bene honesteque vivendum. Sin processeris longius, non magis dolendum est, quam agricolæ dolent, præteritâ verni temporis suavitate, æstatem auctumnumque venisse. Ver enim tanquam adolescentiam significat, ostenditque fructus futuros: reliqua tempora demetendis fructibus et percipiendis accommodata sunt. 71. Fructus autem senectutis est, ut sæpe dixi, ante partorum bonorum memoria et copia. Omnia vero, quæ secundum naturam fiunt, sunt habenda in bonis. Quid est autem tam secundum naturam, quam senibus emori? Quod idem contingit adolescentibus, adversante et repugnante naturâ. Itaque adolescentes mori sic mihi

videntur, ut quum aquæ multitudine vis flammæ opprimitur : senes autem, sicut sua sponte, nulla adhibita vi, consumptus ignis exstinguitur. Et, quasi poma ex arboribus, si cruda sunt, vi avelluntur ; si matura et cocta, decidunt: sic vitam adolescentibus vis aufert, senibus maturitas: quæ mihi quidem tam jucunda est, ut, quo propius ad mortem accedam, quasi terram videre videar, aliquandoque in portum ex longa navigatione esse venturus.

XX. 72. Omnium ætatum certus est terminus : senectutis autem nullus certus est terminus; recteque in ea vivitur, quoad munus officii exsequi et tueri possis, et tamen mortem contemnere. Ex quo fit, ut animosior etiam senectus sit, quam adolescentia, et fortior. Hoc illud est, quod Pisistrato tyranno a Solone responsum est, quum illi quærenti, *qua tandem spe fretus sibi tam audaciter obsisteret*, respondisse dicitur, *Senectute.* Sed vivendi finis est optimus, quum, integra mente ceterisque sensibus, opus ipsa suum eadem, quæ coagmentavit, natura dissolvit. Ut navem, ut ædificium idem destruit facillime, qui construxit : sic hominem eadem optime, quæ conglutinavit, natura dissolvit. Jam omnis conglutinatio recens ægre, inveterata facile divellitur. Ita fit, ut illud breve vîtæ reliquum nec avide appetendum senibus, nec sine caussa deserendum sit. Vetatque Pythagoras, *injussu Imperatoris, id est, Dei, de præsidio et statione vitæ decedere.* 73. Solonis quidem sapientis elogium est, quo *se negat velle suam mortem dolore amicorum et lamentis vacare.* Vult, credo, se esse carum suis. Sed haud scio, an melius Ennius:

> Nemo me lacrumis decoret, nec funera fletu
> Faxit.

74. Non censet lugendam esse mortem, quam immortalitas consequatur. Jam sensus moriendi aliquis esse potest ; isque ad exiguum tempus, præsertim seni ; post mortem quidem sensus aut optandus, aut nullus est. Sed hoc meditatum ab adolescentia debet esse, mortem ut negligamus : sine qua meditatione tranquillo esse animo nemo potest. Moriendum enim certe est : et id incertum, an eo ipso die. Mortem igitur omnibus horis impendentem timens, quî poterit animo consistere ? 75. De

qua non ita longa disputatione opus esse videtur, quum recorder, non Lucium Brutum, qui in liberanda patria est interfectus, non duo Decios, qui ad voluntariam mortem cursum equorum incitaverunt, non Marcum Attilium, qui ad supplicium est profectus, ut fidem hosti datam conservaret, non duo Scipiones, qui iter Pœnis vel corporibus suis obstruere voluerunt, non avum tuum Lucium Paullum, qui morte luit collegæ in Cannensi ignominia temeritatem, non Marcum Marcellum, cujus interitum ne crudelissimus quidem hostis honore sepulturæ carere passus est, sed legiones nostras, quod scripsi in *Originibus*, in eum sæpe locum profectas alacri animo et erecto, unde se nunquam redituras arbitrarentur. Quod igitur adolescentes, et ii quidem non solum indocti, sed etiam rustici contemnunt, id docti senes extimescent? 76. Omnino, ut mihi quidem videtur, studiorum omnium satietas vitæ facit satietatem. Sunt pueritiæ certe studia: num igitur ea desiderant adolescentes? Sunt et ineuntis adolescentiæ: num ea constans jam requirit ætas, quæ media dicitur? Sunt etiam hujus ætatis: ne ea quidem quæruntur a senectute. Sunt extrema quædam studia senectutis: ergo, ut superiorum ætatum studia occidunt, sic occidunt etiam senectutis. Quod quum evenit, satietas vitæ tempus maturum mortis affert.

XXI. 77. Equidem non video, cur, quid ipse sentiam de morte, non audeam vobis dicere; quod eo melius mihi cernere videor, quo ab ea propius absum. Ego vestros patres, Publi Scipio, tuque, Cai Læli, viros clarissimos mihiquê amicissimos, vivere arbitror; et eam quidem vitam, quæ est sola vita nominanda. Nam, dum sumus in his inclusi compagibus corporis, munere quodam necessitatis et gravis opere perfungimur. Est enim animus cælestis ex altissimo domicilio depressus et quasi demersus in terram, locum divinæ naturæ æternitatique contrarium. Sed credo, Deos immortales sparsisse animos in corpora humana, ut essent, qui terras tuerentur, quique, cælestium ordinem contemplantes, imitarentur eum vitæ modo atque constantiâ. Nec me solum ratio ac disputatio impulit, ut ita crederem, sed nobilitas etiam summorum philosophorum, et auctoritas.

78. Audiebam, Pythagoram Pythagoreosque, incolas pæne nostros, qui essent Italici philosophi quondam nominati, nunquam dubitasse, quin ex universa mente divina delibatos animos haberemus. Demonstrabantur mihi præterea, quæ Socrates supremo vitæ die de immortalitate animorum disseruisset, is, qui esset omnium sapientissimus oraculo Apollinis judicatus. Quid multa? Sic mihi persuasi, sic sentio, quum tanta celeritas animorum sit, tanta memoria præteritorum, futurorumque prudentia, tot artes, tantæ scientiæ, tot inventa, non posse eam naturam, quæ res eas contineat, esse mortalem: quumque semper agitetur animus, nec principium motûs habeat, quia se ipse moveat; ne finem quidem habiturum esse motûs, quia nunquam se ipse sit relicturus: et, quum simplex animi natura esset, neque haberet in se quidquam admixtum dispar sui atque dissimile, non posse eum dividi: quod si non possit, non posse interire: magnoque esse argumento, homines scire pleraque ante quam nati sint, quod jam pueri, quum artes difficiles discant, ita celeriter res innumerabiles arripiant, ut eas non tum primum accipere videantur, sed reminisci et recordari. Hæc Plato noster.

XXII. 79. Apud Xenophontem autem moriens Cyrus major hæc dicit. *Nolite arbitrari, o mihi carissimi filii, me, quum a vobis discessero, nusquam aut nullum fore. Nec enim, dum eram vobiscum, animum meum videbatis, sed eum esse in hoc corpore, ex iis rebus, quas gerebam, intelligebatis. Eundem igitur esse creditote, etiam si nullum videbitis.* 80. *Nec vero clarorum virorum post mortem honores permanerent, si nihil* [*eorum*] *ipsorum animi efficerent, quo diutius memoriam sui teneremus. Mihi quidem nunquam persuaderi potuit, animos, dum in corporibus essent mortalibus, vivere; quum exissent ex iis, emori; nec vero, tum animum esse insipientem, quum ex insipienti corpore evasisset; sed quum omni admixtione corporis liberatus, purus et integer esse cœpisset, tum esse sapientem. Atque etiam, quum hominis natura morte dissolvitur, ceterarum rerum perspicuum est quo quæque discedant; abeunt enim illuc omnia, unde orta sunt: animus autem solus, nec quum adest, nec quum discedit, apparet.* 81. *Jam vero videtis,*

nihil esse morti tam simile, quam somnum. Atqui dormientium animi maxime declarant divinitatem suam: multa enim, quum remissi et liberi sunt, futura prospiciunt. Ex quo intellegitur, quales futuri sint, quum se plane corporis vinculis relaxaverint. Quare, si hæc ita sunt, sic me colitote, ut Deum. Sin unà est interiturus animus cum corpore, vos tamen, Deos verentes, qui hanc omnem pulchritudinem tuentur et regunt, memoriam nostri pie inviolateque servabitis. Cyrus quidem hæc moriens. Nos, si placet nostra videamus.

XXIII. 82. Nemo unquam mihi, Scipio, persuadebit, aut patrem tuum Paullum, aut duos avos, Paullum et Africanum, aut Africani patrem, aut patruum, aut multos præstantes viros, quos enumerare non est necesse, tanta esse conatos, quæ ad posteritatis memoriam pertinerent, nisi animo cernerent, posteritatem ad se pertinere. An censes, (ut de me ipso aliquid more senum glorier,) me tantos labores diurnos nocturnosque domi militiæque suscepturum fuisse, si iisdem finibus gloriam meam, quibus vitam, essem terminaturus? Nonne melius multo fuisset, otiosam ætatem et quietam sine ullo labore et contentione traducere? Sed, nescio quomodo, animus, erigens se, posteritatem semper ita prospiciebat, quasi, quum excessisset e vita, tum denique victurus esset. Quod quidem ni ita se haberet, ut animi immortales essent, haud optimi cujusque animus maxime ad immortalitatem gloriæ niteretur. 83. Quid, quod sapientissimus quisque æquissimo animo moritur, stultissimus iniquissimo? Nonne vobis videtur animus is, qui plus cernat et longius, videre, se ad meliora proficisci: ille autem, cujus obtusior sit acies, non videre? Equidem efferor studio, patres vestros, quos colui et dilexi, videndi: neque vero eos solum convenire aveo, quos ipse cognovi, sed illos etiam, de quibus audivi et legi et ipse conscripsi. Quo quidem me proficiscentem haud sane quis facile retraxerit; neque tanquam Peliam recoxerit. Quod si quis Deus mihi largiatur, ut ex hac ætate repuerascam et in cunis vagiam, valde recusem; nec vero velim, quasi decurso spatio, ad carceres a calce revocari. 84. Quid enim habet vita commodi? quid non potius laboris? Sed habeat sane: habet certe tamen aut

satietatem, aut modum. Non lubet enim mihi deplorare vitam, quod multi, et ii docti, sæpe fecerunt; neque me vixisse pœnitet; quoniam ita vixi, ut non frustra me natum existimem; et ex vita ita discedo, tanquam ex hospitio, non tanquam ex domo. Commorandi enim natura deversorium nobis, non habitandi locum dedit. 85. O præclarum diem, quum ad illud divinum animorum concilium cœtumque proficiscer, quumque ex hac turba et colluvione discedam! Proficiscar enim non ad eos solum viros, de quibus ante dixi; verum etiam ad Catonem meum, quo nemo vir melior natus est, nemo pietate præstantior: cujus a me corpus crematum est; quod contra decuit ab illo meum: animus vero non me deserens, sed respectans, in ea profecto loca discessit, quò mihi ipsi cernebat esse veniendum. Quem ego meum casum fortiter ferre visus sum; non quod æquo animo ferrem; sed me ipse consolabar, existimans, non longinquum inter nos digressum et discessum fore. 86. His mihi rebus, Scipio (id enim te cum Lælio admirari solere dixisti,) levis est senectus, nec solum non molesta, sed etiam jucunda. Quod si in hoc erro, quod animos hominum immortales esse credam, lubenter erro; nec mihi hunc errorem, quo delector, dum vivo, extorqueri volo. Sin mortuus, (ut quidam minuti philosophi censent,) nihil sentiam: non vereor, ne hunc errorem meum mortui philosophi irrideant. Quod si non sumus immortales futuri, tamen extingui homini suo tempore optabile est. Nam habet natura, ut aliarum omnium rerum, sic vivendi modum. Senectus autem peractio ætatis est, tanquam fabulæ, cujus defatigationem fugere debemus, præsertim adjuncta satietate. Hæc habui, de senectute quæ dicerem. Ad quam utinam perveniatis! ut ea, quæ ex me audistis, re experti, probare possitis.

THE END.

do
dir
the
of
ma
ext
ent
me
tion
det
Sch
bee

edit
thei
nec

exp
savi
befa
will
the
Tut
amo

a u
Thei
Irela
copy
cons
short

LATIN CLASSICS.

CHEAP COLONIAL EDITIONS

FOR

COLLEGES AND SCHOOLS.

Although the great improvements in the Printing Art have done so much to add to the appearance of Books, and also to diminish the cost, yet the price still forms rather a serious item in the expense of education. This is particularly the case in editions of the Greek and Latin Classics. There is no want of excellence in many of these, but they are generally either so comprehensive or so extended by annotations, that the price is an obstacle to those who, entertaining enlarged views of the advantages of education, have not means commensurate with their wishes. It is, therefore, the intention of the Subscribers, to publish neat and correct editions of such detached portions of the Classic authors as are usually read in Schools and Colleges. This plan has been tried in England, and has been attended with marked success.

To those who are obliged to study economy in education, these editions will be recommended by their cheapness, their accuracy, and their being limited in their extent to that which is absolutely necessary.

To those, who either possess, or can afford to possess more expensive editions, these little copies will be offered as a means of saving the others from that speedy injury or destruction which befals books in the daily transit between home and school. They will be more portable and convenient, more fair and scholar-like in the class-room—not open to the just and reasonable objection which Tutors make to editions so charged with notes, that they almost amount to a translation.

Some years ago, the Subscribers made the attempt to introduce a uniform series of Books into the Common Schools of Canada. Their design was heartily seconded by the Board of Education in Ireland, who promptly and with the utmost liberality placed the copyright of their valuable Text Books at their disposal. At a very considerable expence of labour and money, the Subscribers, in a shorter period than they anticipated, succeeded in introducing the

Books into almost every section of the Province. Since then the indefatigable and intelligent Superintendent of Education in Canada West, who, at an early period, expressed to the Subscribers his favourable opinion of these Books, having himself obtained permission to reprint them, delegated the right to other Booksellers in Canada, by whom, and by the Subscribers under their original grant from the Irish Board, the Province is now abundantly supplied with these excellent Books.

The success which attended this experiment to improve and render uniform the Books used in the Common Schools of Canada, has emboldened the Subscribers to undertake the publication of the Classical series now announced for the use of Colleges, High Schools, District and Grammar Schools.

The first numbers of the series will consist of the following :—

Excerpts from Cornelius Nepos.
The First Four Books of Cæsar.
The Georgics of Virgil.
The Fasti of Ovid.
The Third and Fourth Books of Quintus Curtius.
Cicero de Amicitia.
Cicero de Senectute.
Taciti Agricola.
Excerpts from Horace.

To be followed in rapid succession by Sallust's History of Cataline's Conspiracy, The Four First Books of Virgil's Æneid, and other Standard Text Books.

The price of each will vary from 9d. to 1s. 9d. currency, according to the quantity of printed matter in each.

Orders for copies will be executed by the Booksellers throughout Canada, or by the Publishers.

ARMOUR & RAMSAY.

CICERO

DE

AMICITIA.

FROM THE TEXT OF ERNESTI,

CAREFULLY REVISED.

MONTREAL:
ARMOUR & RAMSAY.

1849.

ARGUMENTUM

DIALOGI DE AMICITIA.

QUUM inter Publium Scipionem Africanum et Lælium summam semper amicitiam fuisse constaret, Ciceroni de amicitia scripturo idoneus visus est Lælius, quem induceret de amicitia disputantem cum utroque genero Caio Fannio et Quinto Mucio Scævola Hoc igitur sermone, quem Cicero paucis diebus post Africani mortem habitum fingit, Lælius docet, quid sit amicitia, quibus de causis amici quæsiti sint, et quibus causis amicitia contrahatur: deinde inter quos amicitia esse possit: quæ sit amicitiæ lex, quæ officia, et quibus denique modis perpetuo conservetur.

Scriptus est autem hic libellus post Catonem Majorem anno fere p. U. c. 710.

I

L
b
a
vi
n
d
ri
Q
u
m
at
he
et
in
er
ut
a
cu
he
tu
ex
il
pa
se
m
I
q
Q
al

MARCI TULLII CICERONIS

LÆLIUS SIVE DE AMICITIA DIALOGUS

AD

TITUM POMPONIUM ATTICUM.

I. 1. Quintus Mucius augur multa narrare de Caio Lælio, socero suo, memoriter et jucunde solebat, nec dubitare, illum in omni sermone appellare sapientem: ego autem a patre ita eram deductus ad Scævolam, sumpta virili toga, ut, quoad possem et liceret, a senis latere nunquam discederem. Itaque multa ab eo prudenter disputata, multa etiam breviter et commode dicta memoriæ mandabam, fierique studebam ejus prudentia doctior. Quo mortuo, me ad pontificem Scævolam contuli, quem unum nostræ civitatis et ingenio et justitia præstantissimum audeo dicere. Sed de hoc alias: nunc redeo ad augurem. 2. Quum sæpe multa, tum memini, domi in hemicyclio sedentem, ut solebat, quum et ego essem una et pauci admodum familiares, in eum sermonem illum incidere, qui tum fere omnibus erat in ore. Meministi enim profecto, Attice, et eo magis, quod Publio Sulpicio utebare multum, (quum is Tribunus plebis capitali odio a Quinto Pompeio, qui tum erat Consul, dissideret, quocum conjunctissime et amantissime vixerat), quanta hominum esset vel admiratio, vel querela. 3. Itaque tum Scævola, quum in eam ipsam mentionem incidisset, exposuit nobis sermonem Lælii de amicitia, habitum ab illo secum et cum altero genero Caio Fannio, M. F., paucis diebus post mortem Africani. Ejus disputationis sententias memoriæ mandavi; quas hoc libro exposui meo arbitratu. Quasi enim ipsos induxi loquentes, ne *Inquam* et *Inquit* sæpius interponeretur, atque ut tanquam a præsentibus coram haberi sermo videretur. Quum enim sæpe mecum ageres, ut de amicitia scriberem aliquid, digna mihi res quum omnium cognitione, tum

nostra familiaritate visa est. Itaque feci non invitus, ut prodessem multis tuo rogatu. 4. Sed, ut in *Catone Majore*, qui est scriptus ad te de senectute, Catonem induxi senem disputantem, quia nulla videbatur aptior persona, quæ de illa ætate loqueretur, quam ejus, qui et diutissime senex fuisset, et in ipsa senectute præ ceteris floruisset: sic, quum accepissemus a patribus, maxime memorabilem Caii Lælii et Publii Scipionis familiaritatem fuisse, idonea mihi Lælii persona visa est, quæ de amicitia ea ipsa dissereret, quæ disputata ab eo meminisset Scævola. Genus autem hoc sermonum, positum in hominum veterum auctoritate, et eorum illustrium, plus, nescio quo pacto, videtur habere gravitatis. Itaque, ipse mea legens, sic afficior interdum, ut Catonem, non me, loqui existimem. 5. Sed, ut tum ad senem senex de senectute, sic hoc libro ad amicum amicissimus de amicitia scripsi. Tum est Cato locutus, quo erat nemo fere senior temporibus illis, nemo prudentior: nunc Lælius, et sapiens, (sic enim est habitus,) et amicitiæ gloria excellens, de amicitia loquitur. Tu velim animum a me parumper avertas, Lælium loqui ipsum putes. Caius Fannius et Quintus Mucius ad socerum veniunt post mortem Africani: ab his sermo oritur. Respondet Lælius: cujus tota disputatio est de amicitia, quam legens tu te ipse cognosces.

II. 6. Fannius. Sunt ista, Læli. Nec enim melior vir fuit Africano quisquam, nec clarior. Sed existimare debes, omnium oculos nunc in te esse conjectos; unum te sapientem et appellant et existimant. Tribuebatur hoc modo Marco Catoni; scimus Lucium Attilium apud patres nostros appellatum esse sapientem: sed uterque alio quodam modo; Attilius, quia prudens esse in jure civili putabatur; Cato, quia multarum rerum usum habebat: multa ejus et in Senatu, et in foro, vel provisa prudenter, vel acta constanter, vel responsa acute, ferebantur. Propterea quasi cognomen jam habebat in senectute sapientis Te autem alio quodam modo, non solum natura et moribus, verum etiam studio et doctrina esse sapientem; nec sicut vulgus, sed ut eruditi solent appellare sapientem, qualem in tota Græcia neminem. 7. Nam qui septem appellantur, eos, qui ista subtilius

quærunt, in numero sapientium non habent. Athenis unum accepimus, et eum quidem etiam Apollinis oraculo sapientissimum judicatum. Hanc esse in te sapientiam existimant, ut omnia tua in te posita ducas, humanosque casus virtute inferiores putes. Itaque ex me quærunt, credo item ex te, Scævola, quonam pacto mortem Africani feras : eoque magis, quod his proximis Nonis, quum in hortos Decii Bruti auguris, commentandi causa, ut assolet, venissemus, tu non adfuisti, qui diligentissime semper illum diem et illud munus solitus esses obire. 8. SCÆVOLA. Quærunt quidem, Cai Læli, multi, ut est a Fannio dictum. Sed ego id respondeo, quod animadverti, te dolorem, quem acceperis quum summi viri tum amicissimi morte, ferre moderate; nec potuisse non commoveri, nec fuisse id humanitatis tuæ : quod autem his Nonis in collegio nostro non adfuisses, valetudinem causam, non mœstitiam fuisse. LÆLIUS. Recte tu quidem, Scævola, et vere. Nec enim ab isto officio, quod semper usurpavi, quum valerem, abduci incommodo meo debui, nec ullo casu arbitror hoc constanti homini posse contingere, ut ulla intermissio fiat officii. 9. Tu autem, Fanni, qui mihi tantum tribui dicis, quantum ego nec agnosco nec postulo, facis amice : sed, ut mihi videris, non recte judicas de Catone. Aut enim nemo, quod quidem magis credo, aut, si quisquam, ille sapiens fuit. Quomodo, ut alia omittam, mortem filii tulit! Memineram Paullum, videram Gallum : sed hi in pueris ; Cato in perfecto et spectato viro. 10. Quamobrem cave Catoni anteponas ne istum quidem ipsum, quem Apollo, ut ais, sapientissimum judicavit. Hujus enim facta, illius dicta laudantur. De me autem, ut jam cum utroque loquar, sic habetote.

III. Ego, si Scipionis desiderio me moveri negem, quam id recte faciam, viderint sapientes ; sed certe mentiar. Moveor enim, tali amico orbatus, qualis, ut arbitror, nemo unquam erit ; et, ut confirmare possum, nemo certe fuit. Sed non egeo medicina ; me ipse consolor, et maxime illo solatio, quod eo errore careo, quo, amicorum decessu, plerique angi solent. Nihil enim mali accidisse Scipioni puto. Mihi accidit, si quid accidit. Suis autem incommodis graviter angi, non amicum, sed seipsum

amantis est. 11. Cum illo vero quis neget actum esse præclare? Nisi enim, quod ille minime putabat, immortalitatem optare vellet,quid non est adeptus, quod homini fas esset optare? qui summam spem civium, quam de eo jam puero habuerant, continuo adolescens incredibili virtute superavit: qui Consulatum petivit nunquam, factus est Consul bis: primum ante tempus; iterum sibi suo tempore; reipublicæ pæne sero: qui, duabus urbibus eversis, inimicissimis huic imperio, non modo præsentia, verum etiam futura bella delevit. Quid dicam de moribus facillimis? de pietate in matrem? liberalitate in sorores? bonitate in suos? justitia in omnes? Nota sunt vobis. Quam autem civitati carus fuerit, mœrore funeris indicatum est. Quid igitur hunc paucorum annorum accessio juvare potuisset? Senectus enim quamvis non sit gravis, ut memini Catonem anno ante, quam mortuus est, mecum et cum Scipione disserere, tamen aufert eam viriditatem, in qua etiamnum erat Scipio. 12. Quamobrem vita quidem talis fuit, vel fortuna, vel gloria, ut nihil posset accedere. Moriendi autem sensum celeritas abstulit. Quo de genere mortis difficile dictu est: quid homines suspicentur, videtis. Hoc tamen vere licet dicere, Publio Scipioni ex multis diebus, quos in vita celeberrimos lætissimosque viderit, illum diem clarissimum fuisse, quum, Senatu dimisso, domum reductus ad vesperum est a Patribus conscriptis, a populi Romani sociis et Latinis, pridie quam excessit e vita: ut ex tam alto dignitatis gradu ad superos videatur potius, quam ad inferos pervenisse.

IV. 13. Neque enim assentior iis, qui hæc nuper disserere cœperunt,cum corporibus simul animos interire, atque omnia morte deleri. Plus apud me antiquorum auctoritas valet, vel nostrorum majorum, qui mortuis tam religiosa jura tribuerunt: quod non fecissent profecto, si nihil ad eos pertinere arbitrarentur: vel eorum, qui in hac terra fuerunt, magnamque Græciam, (quæ nunc quidem deleta est, tum florebat) institutis et præceptis suis erudierunt: vel ejus, qui Apollinis oraculo sapientissimus est judicatus: qui non tum hoc, tum illud, ut, plerique, sed idem dicebat semper, *Animos hominum esse divinos, iisque, quum e corpore excessissent, reditum in*

cœlum patere; optimoque et justissimo cuique expeditissimum. 14. Quod item Scipioni videbatur: qui quidem, quasi præsagiret, perpaucis ante mortem diebus, quum et Philus et Manilius adessent, et alii plures, tuque etiam, Scævola, mecum venisses, triduum disseruit de republica; cujus disputationis fuit extremum fere de immortalitate animorum: quæ se in quiete per visum ex Africano audisse dicebat. Id si ita est, ut optimi cujusque animus in morte facillime evolet, tanquam e custodia vinculisque corporis; cui censemus cursum ad Deos faciliorem fuisse, quam Scipioni? Quocirca, mœrere hoc ejus eventu, vereor, ne invidi magis, quam amici sit. Sin autem illa veriora, ut idem interitus sit animorum et corporum, nec ullus sensus maneat: ut nihil boni est in morte, sic certe nihil mali. Sensu enim amisso fit idem, quasi natus non esset omnino: quem tamen esse natum et nos gaudemus, et hæc civitas, dum erit, lætabitur. 15. Quamobrem cum illo quidem, ut supra dixi, actum optime est; mecum incommodius; quem fuerat æquius, ut prius introieram, sic prius exire de vita. Sed tamen recordatione nostræ amicitiæ sic fruor, ut beate vixisse videar, quia cum Scipione vixerim: quocum mihi conjuncta cura de re publica et de privata fuit, quocum et domus et militia communis: et id, in quo est omnis vis amicitiæ, voluntatum, studiorum, sententiarum summa consensio. Itaque non tam ista me sapientiæ, quam modo Fannius commemoravit, fama delectat, falsa præsertim, quam quod amicitiæ nostræ memoriam spero sempiternam fore. Idque mihi eo magis est cordi, quod ex omnibus sæculis vix tria aut quatuor nominantur paria amicorum: quo in genere sperare videor, Scipionis et Lælii amicitiam notam posteritati fore. 16. FANN. Istud quidem, Læli, ita necesse est. Sed, quoniam amicitiæ mentionem fecisti, et sumus otiosi, pergratum mihi feceris, (spero item Scævolæ) si, quemadmodum soles, de ceteris rebus, quum ex te quæruntur, sic de amicitia disputâris, quid sentias, qualem existimes, quæ præcepta des. SCÆV. Mihi vero pergratum erit: atque, id ipsum quum tecum agere conarer, Fannius antevertit. Quamobrem utrique nostrum gratum admodum feceris.

V. 17. LÆL. Ego vero non gravarer, si mihi ipse

confiderem. Nam et præclara res est, et sumus, ut dixit Fannius, otiosi. Sed quis ego sum? aut quæ in me est facultas? Doctorum est ista consuetudo, eaque Græcorum, ut iis ponatur, de quo disputent quamvis subito. Magnum opus est, egetque exercitatione non parva. Quamobrem quæ disputari de amicitia possunt, ab eis, censeo, petatis, qui ista profitentur. Ego vos hortari tantum possum, ut amicitiam omnibus rebus humanis anteponatis. Nihil est enim tam naturæ aptum, tam conveniens ad res vel secundas, vel adversas. 18. Sed hoc primum sentio, nisi in bonis amicitiam esse non posse: neque id ad vivum reseco, ut illi, qui hæc subtilius disserunt; fortasse vere, sed ad communem utilitatem parum. Negant enim, quenquam virum bonum esse, nisi sapientem. Sit ita sane. Sed eam sapientiam interpretantur, quam adhuc mortalis nemo est consecutus. Nos autem ea, quæ sunt in usu vitaque communi, non ea, quæ finguntur aut optantur, spectare debemus. Nunquam ego dicam, Caium Fabricium, Marcum Curium, Tiberium Coruncanium, quos sapientes nostri majores judicabant, ad istorum normam fuisse sapientes. Quare sibi habeant sapientiæ nomen, et invidiosum et obscurum: concedantque, ut hi boni viri fuerint. Ne id quidem facient. Negabunt, id, nisi sapienti, posse concedi. Agamus igitur *pinqui Minerva*, ut aiunt. 19. Qui ita se gerunt, ita vivunt, ut eorum probetur fides, integritas, æquitas, liberalitas, nec sit in illis ulla cupiditas vel libido vel audacia, sintque magna constantia, ut ii fuerunt, modo quos nominavi: hos viros bonos, ut habiti sunt, sic etiam appellandos putemus; quia sequuntur, quantum homines possunt, naturam, optimam bene vivendi ducem. Sic enim mihi perspicere videor, ita natos esse nos, ut inter omnes esset societas quædam: major autem, ut quisque proxime accederet. Itaque cives potiores, quam peregrini; propinqui, quam alieni. Cum his enim amicitiam natura ipsa peperit: sed ea non satis habet firmitatis. Namque hoc præstat amicitia propinquitati, quod ex propinquitate benevolentia tolli potest, ex amicitia non potest. Sublata enim benevolentia, amicitiæ nomen tollitur, propinquitatis manet. 20. Quanta autem vis amicitiæ sit, ex hoc intelligi maxime potest: quod ex infinita

societate generis humani, quam conciliavit ipsa natura, ita contracta res est et adducta in angustum, ut omnis caritas aut inter duos aut inter paucos jungeretur.

VI. Est autem amicitia nihil aliud, nisi omnium divinarum humanarumque rerum, cum benevolentia et caritate, summa consensio : qua quidem haud scio, an, excepta sapientia, nihil melius homini sit a Diis immortalibus datum. Divitias alii præponunt, bonam alii valetudinem, alii potentiam, alii honores ; multi etiam voluptates. Belluarum hoc quidem extremum est : illa autem superiora caduca et incerta, posita non tam in nostris consiliis, quam in fortunæ temeritate. Qui autem in virtute summum bonum ponunt, præclare illi quidem : sed hæc ipsa Virtus amicitiam et gignit et continet : nec sine virtute amicitia esse ullo pacto potest. 21. Jam virtutem ex consuetudine vitæ sermonisque nostri interpretemur : nec eam, ut quidam docti, verborum magnificentia metiamur : virosque bonos eos, qui habentur, numeremus, Paullos, Catones, Gallos, Scipiones, Philos ; his communis vita contenta est : eos autem omittamus, qui omnino nusquam reperiuntur. Tales igitur inter viros amicitia tantas opportunitates habet, quantas vix queo dicere. 22. Principio, cui potest esse *vita vitalis*, ut ait Ennius, qui non in amici mutua benevolentia conquiescat ? Quid dulcius, quam habere, quicum omnia audeas sic loqui, ut tecum ? Quis esset tantus fructus in prosperis rebus, nisi haberes, qui illis æque, ac tu ipse, gauderet ? Adversas vero ferre difficile esset sine eo, qui illas etiam gravius, quam tu, ferret. Denique ceteræ res, quæ expetuntur, opportunæ sunt singulæ rebus fere singulis : divitiæ, ut utare : opes, ut colare : honores, ut laudere : voluptates, ut gaudeas : valetudo, ut dolore careas et muneribus fungare corporis ; amicitia res plurimas continet. Quoquo te verteris, præsto est : nullo loco excluditur : nunquam intempestiva nunquam molesta est. Itaque non aqua, non igni, ut aiunt, pluribus locis utimur, quam amicitia. Neque ego nunc de vulgari aut de mediocri, quæ tamen ipsa et delectat et prodest, sed de vera et perfecta loquor, qualis eorum, qui pauci nominantur, fuit. Nam et secundas res splendidiores facit amicitia, et adversas partiens communicansque leviores.

VII. 23 Quumque plurimas et maximas commoditates amicitia contineat, tum illa nimirum præstat omnibus, quod bona spe prælucet in posterum, nec debilitari animos aut cadere patitur. Verum etiam amicum qui intuetur, tanquam exemplar aliquod intuetur sui. Quocirca et absentes adsunt, et egentes abundant, et imbecilles valent, et, quod difficilius dictu est, mortui vivunt: tantus eos honos, memoria, desiderium prosequitur amicorum. Ex quo illorum beata mors videtur: horum vita laudabilis. Quod si exemeris ex natura rerum benevolentiæ conjunctionem, nec domus ulla nec urbs stare poterit; ne agri quidem cultus permanebit. Id si minus intelligitur, quanta vis amicitiæ concordiæque sit: ex dissensionibus atque discordiis percipi potest. Quæ enim domus tam stabilis, quæ tam firma civitas est, quæ non odiis atque dissidiis funditus possit everti? Ex quo, quantum boni sit in amicitia, judicari potest. 24. Agrigentinum quidem doctum quendam virum carminibus Græcis vaticinatum ferunt, quæ in rerum natura totoque mundo constarent, quæque moverentur, ea contrahere amicitiam, dissipare discordiam. Atque hoc quidem omnes mortales et intelligunt, et re probant. Itaque, si quando aliquod officium exstitit amici in periculis aut adeundis aut communicandis, quis est, qui id non maximis efferat laudibus? Qui clamores tota cavea nuper in hospitis et amici mei, Marci Pacuvii, nova fabula: quum, ignorante Rege, uter eorum esset Orestes, Pylades Orestem se esse diceret, ut pro illo necaretur; Orestes autem, ita ut erat, Orestem se esse perseveraret! Stantes plaudebant in re ficta: quid arbitramur in vera fuisse facturos? Facile indicabat ipsa natura vim suam: quum homines, quod facere ipsi non possent, id recte fieri in altero judicarent. Hactenus mihi videor, de amicitia quid sentirem, potuisse dicere. Siqua præterea sunt, (credo autem esse multa) ab iis, si videbitur, qui ista disputant, quæritote. 25. FANN. Nos autem a te potius: quanquam etiam ab istis sæpe quæsivi, et audivi, non invitus equidem: sed aliud quoddam expetimus filum orationis tuæ. SCÆV. Tum magis id diceres, Fanni, si nuper in hortis Scipionis, quum est de Republica disputatum, adfuisses. Qualis tum patronus

justitiæ fuit contra accuratam orationem Phili! FANN. Facile id quidem fuit, justitiam justissimo viro defendere. SCÆV. Quid amicitiam? Nonne facile ei, qui ob eam summa fide, constantia, justitiaque servatam, maximam gloriam ceperit?

VIII. 26. LÆL. Vim hoc quidem est afferre. Quid enim refert, qua me rogatione cogatis? Cogitis certe. Studiis enim generorum, præsertim in re bona, quum difficile est, tum ne æquum quidem, obsistere.

Sæpissime igitur mihi de amicitia cogitanti, maxime illud considerandum videri solet, num propter imbecillitatem atque inopiam desiderata sit amicitia: ut in dandis recipiendisque meritis, quod quisque minus per se ipse posset, id acciperet ab alio, vicissimque redderet: an esset hoc quidem proprium amicitiæ. Sed antiquior et pulchrior et magis a natura ipsa profecta alia causa. *Amor* enim, ex quo *amicitia* nominata, princeps est ad benevolentiam conjungendam. Nam utilitates quidem etiam ab iis percipiuntur sæpe, qui simulatione amicitiæ coluntur et observantur causa temporis. In amicitia autem nihil fictum, nihil simulatum; et, quidquid in ea est, id est verum et voluntarium. 27. Quapropter a natura mihi videtur potius, quam ab indigentia, orta amicitia, et applicatione magis animi cum quodam sensu amandi quam cogitatione, quantum illa res utilitatis esset habitura. Quod quidem quale sit, etiam in bestiis quibusdam animadverti potest: quæ ex se natos ita amant ad quoddam tempus, et ab eis ita amantur, ut facile earum sensus appareat. Quod in homine multo est evidentius. Primum ex ea caritate, quæ est inter natos et parentes; quæ dirimi, nisi detestabili scelere, non potest. Deinde, quum similis sensus exstitit amoris, si aliquem nacti sumus, cujus cum moribus et natura congruamus, quod in eo quasi lumen aliquod probitatis et virtutis perspicere videamur. 28. Nihil est enim amabilius virtute: nihil, quod magis alliciat ad diligendum: quippe quum, propter virtutem et probitatem, eos etiam, quos nunquam vidimus, quodam modo diligamus. Quis est, qui Caii Fabricii, Manii Curii non cum caritate aliqua et benevolentia memoriam usurpet, quos nunquam viderit? Quis autem est, qui Tarquinium Superbum, qui Spurium Cassium, Spurium Mælium non oderit? Cum

duobus ducibus de imperio in Italia decertatum, Pyrrho et Hannibale. Ab altero, propter probitatem ejus, non nimis alienos animos habemus; alterum, propter crudelitatem, semper hæc civitas oderit.

IX. 29. Quod si tanta vis probitatis est, ut eam vel in eis, quos nunquam vidimus, vel, quod majus est, in hoste etiam diligamus: quid mirum, si animi hominum moveantur, quum eorum, quibuscum usu conjuncti esse possunt, virtutem et bonitatem perspicere videantur? Quanquam confirmatur amor et beneficio accepto, et studio perspecto, et consuetudine adjuncta: quibus rebus ad illum primum motum animi et amoris adhibitis, admirabilis quædam exardescit benevolentiæ magnitudo: quam si qui putant ab imbecillitate proficisci, ut sit, per quem quisque assequatur, quod desideret; humilem sane relinquunt, et minime generosum, ut ita dicam, ortum amicitiæ, quam ex inopia atque indigentia natam volunt. Quod si ita esset; ut quisque minimum in se esse arbitraretur, ita ad amicitiam esset aptissimus. Quod longe secus est. 30. Ut enim quisque sibi plurimum confidit, et ut quisque maxime virtute et sapientia sic munitus est, ut nullo egeat, suaque omnia in se ipso posita judicet: ita in amicitiis expetendis colendisque maxime excellit. Quid enim Africanus indigens mei? Minime hercle: ac ne ego quidem illius: sed ego admiratione quadam virtutis ejus, ille vicissim opinione fortasse nonnulla, quam de meis moribus habebat, me dilexit: auxit benevolentiam consuetudo. Sed quanquam utilitates multæ et magnæ consecutæ sunt, non sunt tamen ab earum spe causæ diligendi profectæ. 31. Ut enim benefici liberalesque sumus, non ut exigamus gratiam, (neque enim beneficium fœneramur,) sed natura propensi ad liberalitatem sumus; sic amicitiam non spe mercedis adducti, sed quod omnis ejus fructus in ipso amore inest, expetendam putamus. 32. At ii, qui pecudum ritu ad voluptatem omnia referunt, longe dissentiunt. Nec mirum. Nihil enim altum, nihil magnificum ac divinum suspicere possunt, qui suas omnes cogitationes abjecerunt in rem tam humilem tamque contemptam. Quamobrem hos quidem ab hoc sermone removeamus: ipsi autem intelligamus, natura gigni sensum diligendi et benevolentiæ caritatem, facta significatione

probitatis: quam qui appetiverunt, applicant sese et propius admovent, ut et usu ejus, quem diligere cœperunt, fruantur, et moribus; sintque pares in amore, et æquales; propensioresque ad bene merendum, quam ad reposcendum. Atque hæc inter eos sit honesta certatio. Sic et utilitates ex amicitia maximæ capientur: et erit ejus ortus a natura, quam ab imbecillitate, et gravior et verior. Nam si utilitas amicitias conglutinaret, eadem commutata dissolveret. Sed quia natura mutari non potest, idcirco veræ amicitiæ sempiternæ sunt. Ortum quidem amicitiæ videtis, nisi quid ad hæc forte vultis. FANN. Tu vero perge, Læli. Pro hoc enim, qui minor est natu, meo jure respondeo. 33. SCÆV. Recte tu quidem. Quamobrem audiamus.

X. LÆL. Audite ergo, optimi viri, ea, quæ sæpissime inter me et Scipionem de amicitia disserebantur. Quanquam ille quidem nihil difficilius esse dicebat, quam amicitiam usque ad extremum vitæ permanere. Nam vel, ut non idem expediret [utrique], incidere sæpe; vel, ut de republica non idem sentirent: mutari etiam mores hominum sæpe dicebat, alias adversis rebus, alias ætate ingravescente. Atque earum rerum exemplum ex similitudine capiebat ineuntis ætatis, quod summi puerorum amores sæpe una cum prætexta ponerentur. 34. Sin autem ad adolescentiam perduxissent; dirimi tamen interdum contentione vel uxoriæ conditionis, vel commodi alicujus, quod idem adipisci uterque non posset. Quod si qui longius in amicitia provecti essent, tamen sæpe labefactari, si in honoris contentionem incidissent: pestem enim majorem esse nullam amicitiis, quam in plerisque pecuniæ cupiditatem: in optimis quibusque honoris certamen et gloriæ: ex quo inimicitias maximas sæpe inter amicissimos exstitisse. 35. Magna enim dissidia, et plerumque justa nasci, quum aliquid ab amicis, quod rectum non esset, postularetur: ut aut libidinis ministri, aut adjutores essent ad injuriam. Quod qui recusarent, quamvis honeste id facerent, jus tamen amicitiæ deserere arguerentur ab iis, quibus obsequi nollent: illos autem, qui quidvis ab amico auderent postulare, postulatione ipsa profiteri, omnia se amici causa esse facturos. Eorum querela inveteratas non modo familiaritates exstingui solere, sed etiam odia

gigni sempiterna. Hæc ita multa, quasi fata, impendere amicitiis, ut omnia subterfugere non modo sapientiæ, sed etiam felicitatis diceret sibi videri.

XI. 36. Quamobrem id primum videamus, si placet, quatenus amor in amicitia progredi debeat. Num, si Coriolanus habuit amicos, ferre contra patriam arma illi cum Coriolano debuere? Num Viscellinum amici, regnum appetentem, num Spurium Mælium debuerunt juvare? 37. Tiberium quidem Gracchum, rempublicam vexantem, a Quinto Tuberone æqualibusque amicis derelictum videbamus. At Caius Blossius, Cumanus, hospes familiæ vestræ, Scævola, quum ad me, qui aderam Lænati et Rupilio Consulibus in consilio, deprecatum venisset, hanc, ut sibi ignoscerem, causam afferebat, quod tanti Tiberium Gracchum fecisset, ut, quidquid ille vellet, sibi faciendum putaret. Tum ego, *Etiamne, si te in Capitolium faces ferre vellet?* "*Nunquam*, inquit, *voluisset id quidem. Sed, si voluisset, paruissem.*" Videtis, quam nefaria vox. Et hercle ita fecit, vel plus etiam, quam dixit. Non enim paruit ille Tiberii Gracchi temeritati, sed præfuit: nec se comitem illius furoris, sed ducem præbuit. Itaque hac amentia, quæstione nova perterritus, in Asiam profugit, ad hostes se contulit, pœnas reipublicæ graves justasque persolvit. Nulla est igitur excusatio peccati, si amici causa peccaveris. Nam, quum conciliatrix amicitiæ virtutis opinio fuerit, difficile est, amicitiam manere, si a virtute defeceris. 38. Quod si rectum statuerimus, vel concedere amicis quidquid velint, vel impetrare ab iis quidquid velimus, perfecta quidem sapientia simus, si nihil habeat res vitii: sed loquimur de iis amicis, qui ante oculos sunt, quos vidimus, aut de quibus memoriam accepimus, aut quos novit vita communis. Ex hoc numero nobis exempla sumenda sunt: et eorum quidem maxime, qui ad sapientiam proxime accedunt. 39. Videmus Papum Æmilium Caio Luscino familiarem fuisse, (sic a patribus accepimus,) bis una Consules, et Collegas in Censura: tum et cum iis, et inter se, conjunctissimos fuisse Manium Curium et Tiberium Coruncanium, memoriæ proditum est. Igitur ne suspicari quidem possumus, quenquam horum ab amico quippiam contendisse, quod contra fidem, contra jusjurandum, contra rempublicam


esset. [illegible] hoc quidem in talibus viris quid attinet dicere, si contendisset, impetraturum non fuisse; quum illi sanctissimi viri fuerint, æque autem nefas sit, tale aliquid et facere rogatum et rogare? At vero Tiberium Gracchum sequebantur C. [illegible], Caius Cato, et minime tum quidem Caius frater, nunc idem acerrimus.

XII. 40. Hæc igitur lex in amicitia sanciatur, ut neque rogemus res turpes, nec faciamus rogati. Turpis enim excusatio est et minime accipienda, quum in ceteris peccatis, tum si quis contra rempublicam se amici causa fecisse fateatur. Etenim eo loco, Fanni et Scævola, locati sumus, ut nos longe prospicere oporteat futuros casus reipublicæ. Deflexit enim jam aliquantulum de spatio curriculoque consuetudo majorum. Tiberius Gracchus regnum occupare conatus est; vel regnavit is quidem paucos menses. 41. Num quid simile populus Romanus audierat aut viderat? Hunc etiam post mortem secuti amici et propinqui, quid in Publium Scipionem effecerint, sine lacrimis non queo dicere. Nam Carbonem quoquo modo potuimus, propter recentem pœnam Tiberii Gracchi, sustinuimus. De Caii Gracchi autem Tribunatu quid exspectem, non libet augurari. Serpit deinde res: quæ proclivius ad perniciem, quum semel cœpit, labitur. Videtis, in tabella jam ante quanta sit facta labes, primo Gabinia lege, bienno autem post, Cassia. Videre jam videor populum a Senatu disjunctum, multitudinisque arbitrio res maximas agi. Plures enim discent, quemadmodum hæc fiant, quam quemadmodum his resistatur. 42. Quorsum hæc? Quia sine sociis nemo quidquam tale conatur. Præcipiendum est igitur bonis, ut, si in ejusmodi amicitias ignari casu aliquo inciderint, ne existiment, ita se alligatos, ut ab amicis in re publica peccantibus non discedant: improbis autem pœna statuenda est: nec vero minor iis, qui sequuti erunt alterum, quam iis, qui ipsi fuerint impietatis duces. Quis clarior in Græcia Themistocle? quis potentior? Qui quum Imperator bello Persico servitute Græciam liberasset, propterque invidiam in exsilium missus esset, ingratæ patriæ injuriam non tulit, quam ferre debuit. Fecit idem, quod xx annis ante apud nos fecerat Coriolanus. His adjutor contra patriam inventus est nemo. Itaque mortem sibi uterque conscivit. 43. Quare talis improbo-



IMAGE EVALUATION
TEST TARGET (MT-3)

6"


2.8
2.5
3.2
2.2
3.6
4.0
2.0
1.8


1.1
1.0

rum consensio non modo excusatione amicitiæ tegenda non est, sed potius omni supplicio vindicanda: ut ne quis sibi concessum putet, amicum, vel bellum patriæ inferentem, sequi. Quod quidem, ut res cœpit ire, haud scio, an aliquando futurum sit. Mihi autem non minori curæ est, qualis respublica post mortem meam futura sit, quam qualis hodie sit.

XIII. 44. Hæc igitur prima lex amicitiæ sanciatur, ut ab amicis honesta petamus, amicorum causa honesta faciamus: ne exspectemus quidem, dum rogemur: studium semper adsit, cunctatio absit: consilium vero dare gaudeamus libere: plurimum in amicitia amicorum bene suadentium valeat auctoritas: eaque et adhibeatur ad monendum non modo aperte, sed etiam acriter, si res postulabit, et adhibitæ pareatur.

45. Nam quibusdam, quos audio sapientes habitos in Græcia, placuisse opinor mirabilia quædam. Sed nihil est, quod illi non persequantur suis argutiis argutius: partim fugiendas esse nimias amicitias, ne necesse sit unum sollicitum esse pro pluribus: satis superque esse suarum cuique rerum, alienis nimis implicari molestum esse: commodissimum esse, quam laxissimas habenas habere amicitiæ; quas vel adducas, quum velis, vel remittas. Caput enim esse ad beate vivendum securitatem; qua frui non possit animus, si tanquam parturiat unus pro pluribus. 46. Alios autem dicere aiunt multo etiam inhumanius, (quem locum breviter perstrinxi paullo ante:) præsidii adjumentique causa, non benevolentiæ neque caritatis, amicitias esse expetendas. Itaque ut quisque minimum firmitatis habeat minimumque virium, ita amicitias appetere maxime. Ex eo fieri, ut mulierculæ magis amicitiarum præsidia quærant, quam viri: et inopes, quam opulenti: et calamitosi, quam beati. 47. O præclaram sapientiam! Solem enim e mundo tollere videntur, qui amicitiam e vita tollunt: qua a Diis immortalibus nihil melius habemus, nihil jucundius. Quæ est enim ista securitas? Specie quidem, blanda, sed reapse multis locis repudianda. Neque enim est consentaneum, ullam honestam rem actionemve, ne sollicitus sis, aut non suscipere aut susceptam deponere. Quod si curam fugimus, virtus fugienda est; quæ necesse est cum aliqua cura res sibi contrarias aspernetur atque oderit; ut bonitas malitiam,

temperantia libidinem, ignaviam fortitudo. Itaque videas rebus injustis justos maxime dolere, imbellibus fortes, flagitiosis modestos. Ergo hoc proprium est animi bene constituti, et lætari bonis rebus, et dolere contrariis. 48. Quamobrem si cadit in sapientem animi dolor; (qui profecto cadit, nisi ex ejus animo exstirpatam humanitatem arbitramur,) quæ causa est, cur amicitiam funditus tollamus e vita, ne aliquas propter eam suscipiamus molestias? Quid enim interest, motu animi sublato, non dico inter hominem et pecudem, sed inter hominem et saxum, aut truncum, aut quidvis generis ejusdem? Neque enim sunt isti audiendi, qui virtutem duram et quasi ferream quandam esse volunt: quæ quidem est, quum multis in rebus, tum in amicitia, tenera atque tractabilis: ut et bonis amici quasi diffundantur, et incommodis contrahantur. Quamobrem angor iste, qui pro amico sæpe capiundus est, non tantum valet, ut tollat e vita amicitiam; non plus, quam ut virtutes, quia nonnullas curas et molestias afferunt, repudientur.

XIV. Quum autem contrahat amicitiam, ut supra dixi, si qua significatio virtutis eluceat, ad quam se similis animus applicet et adjungat: id quum contingit, amor exoriatur necesse est. 49. Quid enim tam absurdum, quam delectari multis inanibus rebus, ut honore, ut gloria, ut ædificio, ut vestitu cultuque corporis, animo autem virtute prædito, eo, qui vel amare, vel, ut ita dicam, redamare possit, non admodum delectari? Nihil est enim remuneratione benevolentiæ, nihil vicissitudine studiorum officiorumque jucundius. 50. Quod si etiam illud addimus, quod recte addi potest, nihil esse, quod ad se rem ullam tam alliciat et tam attrahat, quam ad amicitiam similitudo: concedetur profecto verum esse, ut bonos boni diligant adsciscantque sibi, quasi propinquitate conjunctos atque natura. Nihil est enim appetentius similium sui, nihil rapacius, quam natura. Quamobrem hoc quidem, Fanni et Scævola, constat, ut opinor, bonis inter bonos quasi necessariam benevolentiam esse; qui est amicitiæ fons a natura constitutus. Sed eadem bonitas etiam ad multitudinem pertinet. Non est enim inhumana virtus, neque immanis, neque superba: quæ etiam populos universos tueri, eisque optime consulere soleat: quod non faceret

profecto, si a caritate vulgi abhorreret. 51. Atque etiam mihi quidem videntur, qui utilitatis causa fingunt amicitias, amabilissimum nodum amicitiæ tollere. Non enim tam utilitas parta per amicum, quam amici amor ipse delectat: tumque illud fit, quod ab amico est profectum, jucundum, si cum studio est profectum: tantumque abest, ut amicitiæ propter indigentiam colantur, ut ii, qui opibus et copiis, maximeque virtute præditi, in qua plurimum est præsidii, minime alterius indigeant, liberalissimi sint et beneficentissimi. Atque haud scio, an ne opus sit quidem, nihil unquam omnino deesse amicis. Ubi enim studia nostra viguissent, si nunquam consilio, nunquam opera nostra, nec domi nec militiæ, Scipio eguisset? Non igitur utilitatem amicitia, sed utilitas amicitiam consecuta est.

XV. 52. Non ergo erunt homines deliciis diffluentes audiendi, si quando de amicitia, quam nec usu nec ratione habent cognitam, disputabunt. Nam quis est, pro Deum fidem atque hominum! qui velit, ut neque diligat quenquam, nec ipse ab ullo diligatur, circumfluere omnibus copiis atque in omnium rerum abundantia vivere? Hæc est enim tyrannorum vita; in qua nimirum nulla fides, nulla caritas, nulla stabilis benevolentiæ potest esse fiducia: omnia semper suspecta atque sollicita: nullus locus amicitiæ. 53. Quis enim aut eum diligat, quem metuit; aut eum, a quo se metui putat? Coluntur tamen simulatione duntaxat ad tempus. Quod si forte, ut fit plerumque, ceciderint; tum intelligitur, quam fuerint inopes amicorum. Quod Tarquinium dixisse ferunt, exsulantem se intellexisse, quos fidos amicos habuisset, quos infidos, quum jam neutris gratiam referre posset. 54. Quanquam miror, illa superbia et importunitate si quenquam habere potuit. Atque ut hujus, quem dixi, mores veros amicos parare non potuere: sic multorum opes præpotentium excludunt amicitias fideles. Non enim solum ipsa fortuna cæca est, sed eos etiam plerumque efficit cæcos, quos complexa est. Itaque efferuntur illi fere fastidio et contumacia: neque quidquam insipiente fortunato intolerabilius fieri potest. Atque hoc quidem videre licet, eos, qui antea commodis fuerunt moribus, imperio, potestate, prosperis rebus immutari, spernique ab his veteres amicitias, indulgeri novis. 55. Quid au-

tem stultius, quam, quum plurimum copiis, facultatibus, opibus possint, cetera parare, quæ parantur pecunia, equos, famulos, vestem egregiam, vasa pretiosa: amicos non parare, optimam et pulcherrimam vitæ, ut ita dicam, supellectilem? Etenim cetera quum parant, cui parent, nesciunt, nec cujus causa laborent:—ejus est enim istorum quidque, qui vincit viribus:—amicitiarum sua cuique permanet stabilis et certa possessio: ut, etiam si illa maneant, quæ sunt quasi dona fortunæ, tamen vita inculta et deserta ab amicis non possit esse jucunda. Sed hæc hactenus.

XVI. 56. Constituendi sunt autem, qui sint in amicitia fines et quasi termini diligendi. De quibus tres video sententias ferri; quarum nullam probo: unam, ut eodem modo erga amicos affecti simus, quo erga nosmetipsos; alteram, ut nostra in amicos benevolentia illorum erga nos benevolentiæ pariter æqualiterque respondeat: tertiam, ut, quanti quisque se ipse facit, tanti fiat ab amicis. Harum trium sententiarum nulli prorsus assentior. Nec enim illa *prima* vera est, ut, quemadmodum in se quisque, sic in amicum sit animatus. 57. Quam multa enim, quæ nostra causa nunquam faceremus, facimus causa amicorum? precari ab indigno, supplicare; tum acerbius in aliquem invehi, insectarique vehementius: quæ in nostris rebus non satis honeste, in amicorum fiunt honestissime: multæque res sunt, in quibus de suis commodis viri boni multa detrahunt detrahique patiuntur, ut iis amici potius, quam ipsi, fruantur. 58. *Altera* sententia est, quæ definit amicitiam paribus officiis ac voluntatibus. Hoc quidem est [nimis] exigue et exiliter ad calculos vocare amicitiam, ut par sit ratio acceptorum et datorum. Ditior mihi et affluentior videtur esse vera amicitia: nec observare restricte, ne plus reddat, quam acceperit. Neque enim verendum est, ne quid excidat, aut ne quid in terram defluat, aut ne plus æquo [quid] in amicitiam congeratur. 59. *Tertius* vero ille finis deterrimus, ut, quanti quisque se ipse faciat, tanti fiat ab amicis. Sæpe enim in quibusdam aut animus abjectior est, aut spes amplificandæ fortunæ fractior. Non est igitur amici, talem esse in eum, qualis ille in se est: sed potius eniti et efficere, ut amici jacentem animum excitet, inducatque spem cogita-

tionemque meliorem. Alius igitur finis veræ amicitiæ constituendus est, si prius, quid maxime reprehendere Scipio solitus sit, dixero. Negabat, ullam vocem inimiciorem amicitiæ potuisse reperiri, quam ejus, qui dixisset, Ita amare oportere, ut si aliquando esset osurus: nec vero se adduci posse, ut hoc, quemadmodum putaretur, a Biante esse dictum crederet, qui sapiens habitus esset unus e septem: [sed] impuri cujusdam, aut ambitiosi aut omnia ad suam potentiam revocantis esse sententiam. Quonam enim modo quisquam amicus esse poterit, cui se putabit inimicum esse posse? Quin etiam necesse erit cupere et optare, ut quam sæpissime peccet amicus, quo plures det sibi tanquam ansas ad reprehendendum: rursum autem recte factis commodisque amicorum necesse erit angi, dolere, invidere. 60. Quare hoc quidem præceptum, cujuscunque est, ad tollendam amicitiam valet. Illud potius præcipiendum fuit, ut eam diligentiam adhiberemus in amicitiis comparandis, ut nequando amare inciperemus eum, quem aliquando odisse possemus. Quin etiam si minus felices in deligendo fuissemus, ferendum id Scipio potius, quam inimicitiarum tempus cogitandum, putabat.

XVII. 61. His igitur finibus utendum arbitror, ut, quum emendati mores amicorum sint, tum sit inter eos omnium rerum, consiliorum, voluntatum, sine ulla exceptione communitas: ut, etiam si qua fortuna acciderit, ut minus justæ amicorum voluntates adjuvandæ sint, in quibus eorum aut caput agatur aut fama, declinandum sit de via, modo ne summa turpitudo sequatur. Est enim, quatenus amicitiæ dari venia possit. Nec vero negligenda est fama: nec mediocre telum ad res gerendas existimare oportet benevolentiam civium; quam blanditiis et assentando colligere turpe est: virtus, quam sequitur caritas, minime repudianda est.

62. Sed sæpe (etenim redeo ad Scipionem, cujus omnis sermo erat de amicitia) querebatur, quod omnibus in rebus homines diligentiores essent: ut capras et oves quot quisque haberet, dicere posset: amicos quot haberet, non posset dicere; et in illis quidem parandis adhibere curam, in amicis eligendis negligentes esse; nec habere quasi signa quædam et notas, quibus eos, qui ad

amicitiam essent idonei, judicarent. Sunt igitur firmi et stabiles et constantes eligendi; cujus generis est magna penuria: et judicare difficile est sane, nisi expertum. Experiendum est autem in ipsa amicitia. Ita præcurrit amicitia judicium, tollitque experiendi potestatem. 63. Est igitur prudentis, sustinere, ut currum, sic impetum benevolentiæ: quo utamur, quasi equis tentatis, sic amicitiis, aliqua parte periclitatis moribus amicorum. Quidam sæpe in parva pecunia perspiciuntur, quam sint leves: quidam, quos parva movere non potuit, cognoscuntur in magna. Sin vero erunt aliqui reperti, qui, pecuniam præferre amicitiæ, sordidum existiment: ubi eos inveniemus, qui honores, magistratus, imperia, potestates, opes amicitiæ non anteponant? ut, quum ex altera parte proposita hæc sint, ex altera jus amicitiæ, non multo illa malint? Imbecilla est enim natura ad contemnendam potentiam; quam etiam si neglecta amicitia consecuti sunt, obscuratum iri arbitrantur, quia non sine magna causa sit neglecta amicitia. 64. Itaque veræ amicitiæ difficillime reperiuntur in iis, qui in honoribus reque publica versantur. Ubi enim istum invenias, qui honorem amici anteponat suo? Quid? hæc ut omittam, quam graves, quam difficiles plerisque videntur calamitatum societates! ad quas non est facile inventu qui descendat: quanquam Ennius recte:

Amicus certus in re incerta cernitur:

tamen hæc duo levitatis et infirmitatis plerosque convincunt; aut si in bonis rebus contemnunt, aut in malis deserunt.

XVIII. Qui igitur utraque in re gravem, constantem, stabilem se in amicitia præstiterit, hunc ex maxime raro hominum genere judicare debemus, et pæne divino.

65. Firmamentum autem stabilitatis constantiæque ejus, quam in amicitia quærimus, fides est. Nihil enim stabile est, quod infidum est. Simplicem præterea, et communem, et consentientem, qui rebus iisdem moveatur, eligi par est: quæ omnia pertinent ad fidelitatem. Neque enim fidum potest esse multiplex ingenium et tortuosum. Neque vero, qui non iisdem rebus movetur, et natura consentit, fidus aut stabilis potest esse. Addendum eodem est, ut ne criminibus, aut inferendis delec-

tetur, aut credat oblatis: quæ omnia pertinent ad eam, quam jamdudum tracto, constantiam. Ita fit verum illud, quod initio dixi, amicitiam, nisi inter bonos, esse non posse. Est enim boni viri, quem eundem sapientem licet dicere, hæc duo tenere in amicitia: primum, ne quid fictum sit, neve simulatum: aperte enim vel odisse, magis ingenui est quam fronte occultare sententiam. Deinde, non solum ab aliquo allatas criminationes repelliere, sed ne ipsum quidem esse suspiciosum, semper aliquid existimantem ab amico esse violatum. 66. Accedat huc suavitas quædam oportet sermonum atque morum, haudquaquam mediocre condimentum amicitiæ. Tristitia autem et in omni re severitas, habet illa quidem gravitatem: sed amicitia remissior esse debet et liberior et dulcior et ad omnem comitatem facilitatemque proclivior.

XIX. 67. Exsistit autem hoc loco quædam quæstio subdifficilis: num quando amici novi, digni amicitia, veteribus sint anteponendi, ut equis vetulis teneros anteponere solemus. Indigna homine dubitatio. Non enim amicitiarum debent esse, sicut aliarum rerum, satietates. Veterrimæ quæque, ut ea vina, quæ vetustatem ferunt, esse debent suavissimæ: verumque illud est, quod dicitur, *multos modios salis simul edendos esse,* ut amicitiæ munus expletum sit. 68. Novitates autem, si spem afferunt, ut, tanquam in herbis non fallacibus, fructus appareat, non sunt illæ quidem repudiandæ: vetustas tamen suo loco conservanda est. Maxima est enim vis vetustatis et consuetudinis. Quin ipso equo, cujus modo mentionem feci, si nulla res impediat, nemo est, qui non eo, quo consuevit, libentius utatur, quam intractato et novo: nec modo in hoc, quod est animal, sed in iis etiam, quæ sunt inanimata, consuetudo valet: quum locis ipsis delectemur, montuosis etiam et silvestribus, in quibus diutius commorati sumus. 69. Sed maximum est in amicitia, superiorem parem esse inferiori. Sæpe enim excellentiæ quædam sunt: qualis erat Scipionis in nostro, ut ita dicam, grege. Nunquam se ille Philo, nunquam Rupilio, nunquam Mummio anteposuit, nunquam inferioris ordinis amicis. Quintum vero Maximum fratrem, egregium virum, omnino sibi nequaquam parem, quod is anteibat ætate, tanquam superiorem colebat, suosque omnes per

se esse ampliores volebat. 70. Quod faciendum imitandumque est omnibus: ut, si quam præstantiam virtutis, ingenii, fortunæ consecuti sunt, impertiant ea suis, communicentque cum proximis: ut, si parentibus nati sint humilibus, si propinquos habeant imbecilliores vel animo vel fortuna, eorum augeant opes, eisque honori sint et dignitati: ut in Fabulis, qui aliquamdiu propter ignorationem stirpis et generis in famulatu fuerint, quum cogniti sunt, et aut Deorum aut Regum filii inventi, retinent tamen caritatem in pastores, quos patres multos annos esse duxerunt. Quod multo profecto magis in veris patribus certisque faciendum. Fructus enim ingenii et virtutis omnisque præstantiæ tum maximus capitur, quum in proximum quemque confertur.

XX. 71. Ut igitur ii, qui sunt in amicitiæ conjunctionisque necessitudine superiores, exæquare se cum inferioribus debent: sic inferiores non dolere, se a suis aut ingenio aut fortuna aut dignitate superari. Quorum plerique aut queruntur semper aliquid, aut etiam exprobrant: eoque magis, si habere se putant, quod officiose et amice et cum labore aliquo suo factum queant dicere. Odiosum sane genus hominum, officia exprobrantium: quæ meminisse debet is, in quem collata sunt, non commemorare, qui contulit. 72. Quamobrem ut ii, qui superiores sunt, submittere se debent in amicitia: sic quodam modo inferiores extollere. Sunt enim quidam, qui molestas amicitias faciunt, quum ipsi se contemni putant; quod non fere contingit, nisi iis, qui etiam contemnendos se arbitrantur; qui hac opinione non modo verbis, sed etiam opere levandi sunt. 73. Tantum autem cuique tribuendum, primum, quantum ipse efficere possis; deinde etiam, quantum ille, quem diligas atque adjuves, sustinere. Non enim tu possis, quantumvis excellas, omnes tuos ad honores amplissimos perducere: ut Scipio Publium Rupilium potuit Consulem efficere; fratrem ejus Lucium non potuit. Quod si etiam possis quidvis deferre ad alterum, videndum est tamen, quid ille possit sustinere. 74. Omnino amicitiæ, corroboratis jam confirmatisque et ingeniis et ætatibus, judicandæ sunt: nec, si qui ineunte ætate venandi aut pilæ studiosi fuerint, eos habere necessarios oportet, quos tum eodem studio

præditos dilexerunt. Isto enim modo nutrices et pædagogi jure vetustatis plurimum benevolentiæ postulabunt; qui negligendi quidem non sunt, sed alio quodam modo colendi. Aliter amicitiæ stabiles permanere non possunt. Dispares enim mores, disparia studia sequuntur, quorum dissimilitudo dissociat amicitias: nec ob aliam causam ullam boni improbis, improbi bonis amici esse non possunt, nisi quod tanta est inter eos, quanta maxima potest esse, morum studiorumque distantia. 75. Recte etiam præcipi potest in amicitiis, ne intemperata quædam benevolentia, quod persæpe fit, impediat magnas utilitates amicorum. Nec enim, ut ad Fabulas redeam, Trojam Neoptolemus capere potuisset, si Lycomedem, apud quem erat educatus, multis cum lacrimis iter suum impedientem, audire voluisset. Et sæpe incidunt magnæ res, ut discedendum sit ab amicis: quas qui impedire vult, quod desiderium non facile ferat, is et infirmus est mollisque natura, et ob eam ipsam causam in amicitia parum justus. 76. Atque in omni re considerandum est, et quid postules ab amico, et quid patiare a te impetrari.

XXI. Est etiam quasi quædam calamitas in amicitiis dimittendis nonnunquam necessaria: jam enim a sapientium familiaritatibus ad vulgares amicitias oratio nostra delabitur. Erumpunt sæpe vitia amicorum quum in ipsos amicos, tum in alienos; quorum tamen ad amicos redundet infamia. Tales igitur amicitiæ sunt remissione usus eluendæ et, ut Catonem dicere audivi, dissuendæ magis, quam discindendæ. Nisi quædam admodum intolerabilis injuria exarserit, ut neque rectum neque honestum sit neque fieri possit, ut non statim alienatio disjunctioque facienda sit. 77. Sin autem morum aut studiorum commutatio quædam, ut fieri solet, facta erit, aut in reipublicæ partibus dissensio intercesserit (loquor enim jam, ut paullo ante dixi, non de sapientium, sed de communibus amicitiis) cavendum erit, ne non solum amicitiæ depositæ, sed inimicitiæ etiam susceptæ videantur. Nihil enim turpius, quam cum eo bellum gerere, quicum familiariter vixeris. Ab amicitia Quinti Pompeii meo nomine se removerat, ut scitis, Scipio: propter dissensionem autem, quæ erat in republica, alienatus est a collega nostro Metello. Utrumque egit graviter, auctori-

tate, et offensione animi non acerba. 78. Quamobrem primum danda opera est, ne qua amicorum discidia fiant: sin tale aliquid evenerit, ut extinctæ potius amicitiæ, quam oppressæ esse videantur. Cavendum vero, ne etiam in graves inimicitias convertant se amicitiæ: ex quibus jurgia, maledicta, contumeliæ gignuntur. Quæ tamen si tolerabiles erunt, ferendæ sunt: et hic honos veteri amicitiæ tribuendus est, ut is in culpa sit, qui faciat, non qui patiatur injuriam. Omnino omnium horum vitiorum atque incommodorum una cautio est atque una provisio, ut ne nimis cito diligere incipiamus, neve non dignos. 79. Digni autem sunt amicitia, quibus in ipsis inest causa, cur diligantur. Rarum genus, (et quidem omnia præclara rara) nec quidquam difficilius, quam reperire, quod sit omni ex parte in suo genere perfectum. Sed plerique neque in rebus humanis quidquam bonum norunt, nisi quod fructuosum sit: et amicos, tanquam pecudes, eos potissimum diligunt, ex quibus sperant se maximum fructum esse capturos. 80. Ita pulcherrima illa et maxime naturali carent amicitia, per se et propter se expetenda: nec ipsi sibi exemplo sunt, hæc vis amicitiæ qualis et quanta sit. Ipse enim se quisque diligit, non ut aliquam a se ipse mercedem exigat caritatis suæ, sed quod per se sibi quisque carus est. Quod nisi idem in amicitiam transferatur, verus amicus nunquam reperietur. Est enim is quidem tanquam alter idem. 81. Quod si hoc apparet in bestiis, volucribus, nantibus, agrestibus, cicuribus, feris, primum ut se ipsæ diligant: (id enim pariter cum omni animante nascitur:) deinde, ut requirant atque appetant, ad quas se applicent, ejusdem generis animantes; idque faciunt cum desiderio et cum quadam similitudine amoris humani: quanto id magis in homine fit natura, qui et se ipse diligit, et alterum anquirit, cujus animum ita cum suo misceat, ut efficiat pæne unum ex duobus?

XXII. 82. Sed plerique perverse, ne dicam impudenter, amicum habere talem volunt, quales ipsi esse non possunt: quæque ipsi non tribuunt amicis, hæc ab iis desiderant. Par est autem, primum ipsum esse virum bonum, tum alterum similem sui quærere. In talibus ea, quam jamdudum tractamus, stabilitas amicitiæ, con-

firmari potest: quum homines benevolentia conjuncti, primum cupiditatibus iis, quibus ceteri serviunt, imperabunt, deinde æquitate justitiaque gaudebunt, omniaque alter pro altero suscipiet, neque quidquam unquam nisi honestum et rectum alter ab altero postulabit: neque solum [se] colent inter se ac diligent, sed etiam verebuntur. Nam maximum ornamentum amicitiæ tollit, qui ex ea tollit verecundiam. 83. Itaque in iis perniciosus est error, qui existimant, libidinum peccatorumque omnium patere in amicitia licentiam. Virtutum amicitia adjutrix a natura data est, non vitiorum comes: ut, quoniam solitaria non posset virtus ad ea, quæ summa sunt, pervenire, conjuncta et consociata cum altera perveniret: quæ si quos inter societas aut est, aut fuit, aut futura est, eorum est habendus ad summum naturæ bonum optimus beatissimusque comitatus. 84. Hæc est, inquam, societas, in qua omnia insunt, quæ putant homines expetenda, honestas, gloria, tranquillitas animi, atque jucunditas: ut, quum hæc adsint, beata vita sit, et sine his esse non possit. Quod quum optimum maximumque sit, si id volumus adipisci, virtuti opera danda est: sine qua neque amicitiam, neque ullam rem expetendam consequi possumus. Ea vero neglecta, qui se amicos habere arbitrantur, tum se denique errasse sentiunt, quum eos gravis aliquis casus experiri cogit. 85. Quocirca, (dicendum est enim sæpius,) quum judicaveris, diligere oportet: non, quum dilexeris, judicare. Sed quum multis in rebus negligentia plectimur, tum maxime in amicis et deligendis et colendis. Præposteris enim utimur consiliis, et acta agimus, quod vetamur veteri proverbio. Nam implicati ultro et citro, vel usu diuturno, vel etiam officiis, repente in medio cursu amicitias, exorta aliqua offensione, disrumpimus.

XXIII. 86. Quo etiam magis vituperanda est rei maxime necessariæ tanta incuria. Una est enim amicitia in rebus humanis, de cujus utilitate omnes uno ore consentiunt. Quanquam a multis ipsa virtus contemnitur, et venditatio quædam atque ostentatio esse dicitur. Multi divitias despiciunt, quos parvo contentos tenuis victus cultusque delectat: honores vero, quorum cupiditate quidam inflammantur, quam multi ita contemnunt,

ut nihil inanius, nihil levius esse existiment. Itemque cetera, quæ quibusdam admirabilia videntur, permulti sunt, qui pro nihilo putent. De amicitia omnes ad unum idem sentiunt, et ii, qui ad rempublicam se contulerunt, et ii, qui rerum cognitione doctrinaque delectantur, et ii, qui suum negotium gerunt otiosi: postremo ii, qui se totos tradiderunt voluptatibus, sine amicitia vitam esse nullam sentiunt, si modo velint aliqua ex parte liberaliter vivere. 87. Serpit enim, nescio quomodo, per omnium vitas amicitia, nec ullam ætatis degendæ rationem patitur esse expertem sui. Quin etiam si quis ea asperitate est et immanitate naturæ, congressus ut hominum fugiat atque oderit, qualem fuisse Athenis Timonem nescio quem accepimus: tamen is pati non possit, ut non anquirat aliquem, apud quem evomat virus acerbitatis suæ. Atque hoc maxime judicaretur, si quid tale posset contingere, ut aliquis nos Deus ex hac hominum frequentia tolleret et in solitudine uspiam collocaret, atque ibi suppeditans omnium rerum, quas natura desiderat, abundantiam et copiam, hominis omnino adspiciendi potestatem eriperet. 88. Quis tam esset ferreus, qui eam vitam ferre posset, cuique non auferret fructum voluptatum omnium solitudo? Verum ergo illud est, quod a Tarentino Archyta, ut opinor, dici solitum, nostros senes commemorare audivi, ab aliis senibus auditum: Si quis in cœlum adscendisset, naturamque mundi et pulchritudinem siderum perspexisset, insuavem illam admirationem ei fore; quæ jucundissima fuisset, si aliquem, cui narraret, habuisset. Sic natura solitarium nihil amat, semperque ad aliquod tanquam adminiculum annititur: quod in amicissimo quoque dulcissimum est.

XXIV. Sed quum tot signis eadem natura declaret, quid velit, anquirat, ac desideret; obsurdescimus tamen nescio quomodo; nec ea, quæ ab ea monemur, audimus. Est enim varius et multiplex usus amicitiæ, multæque causæ suspicionum offensionumque dantur: quas tum evitare, tum elevare, tum ferre, sapientis est.

Una illa sublevanda offensio est, ut et veritas in amicitia et fides retineatur. Nam et monendi amici sæpe sunt, et objurgandi; et hæc accipienda amice, quum benevole fiunt. 89. Sed, nescio quomodo, verum est, quod in Andria familiaris meus dicit:

Obsequium amicos, veritas odium parit.

Molesta veritas, si quidem ex ea nascitur odium; quod est venenum amicitiæ: sed obsequium multo molestius, quod, peccatis indulgens, præcipitem amicum ferri sinit. Maxima autem culpa in eo est, qui et veritatem aspernatur, et in fraudem obsequio impellitur. Omni igitur hac in re habenda ratio et diligentia est: primum, ut monitio acerbitate, deinde objurgatio contumelia careat: in *obsequio* autem (quoniam Terentiano verbo lubenter utimur) comitas adsit: assentatio, vitiorum adjutrix, procul amoveatur: quæ non modo amico, sed ne libero quidem digna est. Aliter enim cum tyranno, aliter cum amico vivitur. 90. Cujus autem aures veritati clausæ sunt, ut ab amico verum audire nequeat, hujus salus desperanda est. Scitum est enim illud Catonis, ut multa; Melius de quibusdam acerbos inimicos mereri, quam eos amicos, qui dulces videantur: illos verum sæpe dicere, hos nunquam. Atque illud absurdum est, quod ii, qui monentur, eam molestiam, quam debent capere, non capiunt: eam capiunt, qua debent vacare. Peccasse enim se, non anguntur; objurgari, moleste ferunt: quod contra oportebat; delicto dolere, correctione gaudere.

XXV. 91. Ut igitur et monere et moneri proprium est veræ amicitiæ; et alterum libere facere, non aspere; alterum patienter accipere, non repugnanter: sic habendum est, nullam in amicitiis pestem esse majorem, quam adulationem, blanditiam, assentationem. Quamvis enim multis nominibus est hoc vitium notandum, levium hominum atque fallacium, ad voluntatem loquentium omnia, nihil ad veritatem. 92. Quum autem omnium rerum simulatio est vitiosa, (tollit enim judicium veri, idque adulterat,) tum amicitiæ repugnat maxime. Delet enim veritatem, sine qua nomen amicitiæ valere non potest. Nam quum amicitiæ vis sit in eo, ut unus quasi animus fiat ex pluribus: qui id fieri poterit, si ne in uno quidem quoque unus animus erit idemque semper, sed varius, commutabilis, multiplex? 93. Quid enim potest esse tam flexibile, tam devium, quam animus ejus, qui ad alterius non modo sensum ac voluntatem, sed etiam vultum atque nutum convertitur?

Negat quis? nego: ait? aio: postremo imperavi egomet mihi
Omnia assentari:

ut ait idem Terentius: sed ille sub Gnathon's persona: quod [amici] genus adhibere, omnino levitatis est. 94. Multi autem Gnathonum similes quum sint, loco, fortuna, fama superiores: horum est assentatio molesta, quum ad vanitatem accessit auctoritas. 95. Secerni autem blandus amicus a vero et internosci tam potest, adhibita diligentia, quam omnia fucata et simulata a sinceris atque veris. Concio, quæ ex imperitissimis constat, tamen judicare solet, quid intersit inter popularem, id est, assentatorem et levem civem, et inter constantem, severum, et gravem. Quibus blanditiis Caius Papirius nuper influebat in aures concionis, quum ferret legem de Tribunis plebis reficiendis! Dissuasimus nos. 96. Sed nihil de me: de Scipione dicam libentius. Quanta illa, Dii immortales! fuit gravitas! quanta in oratione majestas! ut facile ducem populi Romani, [non comitem] diceres. Sed adfuistis; et est in manibus oratio. Itaque lex popularis suffragiis populi repudiata est. Atque, ut ad me redeam, meministis, Quinto Maximo, fratre Scipionis, et Lucio Mancino Consulibus, quam popularis lex de sacerdotiis Caii Licinii Crassi videbatur! Cooptatio enim collegiorum ad populi beneficium transferebatur. Atque is primum instituit, in forum versus, agere cum populo. Tamen illius vendibilem orationem religio Deorum immortalium, nobis defendentibus, facile vincebat. Atque id actum est Prætore me, quinquennio ante quam Consul sum factus. Itaque re magis, quam auctoritate, causa illa defensa est.

XXVI. 97. Quod si in scena, id est, in concione, in qua rebus fictis et adumbratis loci plurimum est, tamen verum valet, si modo id patefactum et illustratum est: quid in amicitia fieri oportet, quæ tota veritate perpenditur? in qua nisi, ut dicitur, apertum pectus videas, tuumque ostendas, nihil fidum, nihil exploratum habeas; ne amare quidem, aut amari; quum, id quam vere fiat, ignores. Quanquam ista assentatio, quamvis perniciosa sit, nocere tamen nemini potest, nisi ei, qui eam recipit atque ea delectatur. Ita fit, ut is assentatoribus patefaciat aures suas maxime, qui ipse sibi assentetur et se maxime ipse delectet. 98. Omnino est amans sui virtus. Optime enim se ipsa novit, quamque amabilis sit, in-

telligit. Ego autem non de virtute nunc loquor, sed de virtutis opinione. Virtute enim ipsa non tam multi præditi esse, quam videri volunt. Hos delectat assentatio: his fictus ad ipsorum voluntatem sermo quum adhibetur, orationem illam vanam testimonium esse laudum suarum putant. Nulla est igitur hæc amicitia, quum alter verum audire non vult, alter ad mentiendum paratus est. Nec parasitorum in comœdiis assentatio nobis faceta videretur, nisi essent milites gloriosi.

Magnas vero agere gratias Thais mihi?

Satis erat respondere, *magnas; ingentes*, inquit. Semper auget assentator id, quod is, cujus ad voluntatem dicitur, vult esse magnum. 99. Quamobrem, quamvis blanda ista vanitas apud eos valeat, qui ipsi illam allectant et invitant: tamen etiam graviores constantioresque admonendi sunt, ut animum advertant, ne callida assentatione capiantur. Aperte enim adulantem nemo non videt, nisi qui admodum est excors. Callidus ille et occultus ne se insinuet, studiose cavendum est. Nec enim facillime cognoscitur, quippe qui etiam adversando sæpe assentetur; et, litigare se simulans, blandiatur, atque ad extremum det manus, vincique se patiatur: ut is, qui illusus sit, plus vidisse videatur. Quid autem turpius, quam illudi? Quod ne accidat, cavendum est, ut in Epiclero:

Hodie me ante omnes comicos stultos senes
Versaris atque [luseris] lautissime.

100. Hæc enim etiam in Fabulis stultissima persona est improvidorum et credulorum senum. Sed, nescio quo pacto, ab amicitiis perfectorum hominum, id est, sapientium (de hac dico sapientia, quæ videtur in hominen cadere posse) ad leves amicitias deflexit oratio. Quamobrem ad illa prima redeamus, eaque ipsa concludamus aliquando.

XXVII. Virtus, virtus, inquam, Cai Fanni, et tu, Q. Muci, et conciliat amicitias et conservat. In ea est enim convenientia rerum, in ea stabilitas, in ea constantia: quæ quum se extulit et ostendit lumen suum, et idem adspexit agnovitque in alio: ad id se admovet, vicissimque accipit illud, quod in altero est: ex quo eorum exardescit sive *amor*, sive *amicitia*. Utrumque

enim dictum est ab *amando*. Amare autem nihil aliud est, nisi eum ipsum diligere, quem ames, nulla indigentia nulla utilitate quæsita. 101. Quæ tamen ipsa efflorescit ex amicitia, etiam si tu eam minus sequutus sis. Hac nos adolescentes benevolentia senes illos Lucium Paullum, Marcum Catonem, Caium Gallum, Publium Nasicam, Tiberium Gracchum, Scipionis nostri socerum, dileximus. Hæc etiam magis elucet inter æquales, ut inter me et Scipionem, Lucium Furium, Publium Rupilium, Spurium Mummium. Vicissim autem senes in adolescentium caritate acquiescimus; ut in vestra, ut in Quinti Tuberonis: equidem etiam admodum adolescentis, Publii Rutilii, Auli Virginii familiaritate delector. Quoniamque ita ratio comparata est vitæ naturæque nostræ, ut alia ætas oriatur ex alia: maxime quidem optandum est, ut cum æqualibus possis, quibuscum tanquam e carceribus emissus sis, cum iisdem ad calcem, ut dicitur, pervenire. 102. Sed quoniam res humanæ fragiles caducæque sunt, semper aliqui anquirendi sunt, quos diligamus et a quibus diligamur. Caritate enim benevolentiaque sublata, omnis est e vita sublata jucunditas. Mihi quidem Scipio, quanquam est subito ereptus, vivit tamen semperque vivet: virtutem enim amavi illius viri, quæ exstincta non est. Nec mihi soli versatur ante oculos, qui illam semper in manibus habui, sed etiam posteris erit clara et insignis. Nemo unquam animo aut spe majora suscipiet, qui sibi non illius memoriam atque imaginem proponendam putet. 103. Equidem ex omnibus rebus, quas mihi aut fortuna aut natura tribuit, nihil habeo, quod cum amicitia Scipionis possim comparare. In hac mihi de republica consensus, in hac rerum privatarum consilium; in eadem requies plena oblectationis fuit. Nunquam illum ne minima quidem re offendi, quod quidem senserim: nihil audivi ex ipso, quod nollem. Una domus erat, idem victus, isque communis: neque solum militia, sed etiam peregrinationes rusticationesque communes. 104. Nam quid ego de studiis dicam cognoscendi semper aliquid atque discendi? in quibus remoti ab oculis populi, omne otiosum tempus contrivimus? Quarum rerum recordatio et memoria, si una cum illo occidisset, desiderium con-

junctissimi atque amantissimi viri ferre nullo modo possem. Sed nec illa exstincta sunt, aluntur que potius et augentur cogitatione et memoria: et, si illis plane orbatus essem, magnum tamen afferret mihi ætas ipsa solatium; diutius enim jam in hoc desiderio esse non possum: omnia autem brevia tolerabilia esse debent, etiam si magna sunt. Hæc habui, de amicitia quæ dicerem. Vos autem hortor, ut ita virtutem locetis [colatis], sine qua amicitia esse non potest, ut, ea excepta, nihil amicitia præstabilius putetis.

LATIN CLASSICS.

CHEAP COLONIAL EDITIONS

FOR

COLLEGES AND SCHOOLS.

Although the great improvements in the Printing Art have done so much to add to the appearance of Books, and also to diminish the cost, yet the price still forms rather a serious item in the expense of education. This is particularly the case in editions of the Greek and Latin Classics. There is no want of excellence in many of these, but they are generally either so comprehensive or so extended by annotations, that the price is an obstacle to those who, entertaining enlarged views of the advantages of education, have not means commensurate with their wishes. It is, therefore, the intention of the Subscribers, to publish neat and correct editions of such detached portions of the Classic authors as are usually read in Schools and Colleges. This plan has been tried in England, and has been attended with marked success.

To those who are obliged to study economy in education, these editions will be recommended by their cheapness, their accuracy, and their being limited in their extent to that which is absolutely necessary.

To those, who either possess, or can afford to possess more expensive editions, these little copies will be offered as a means of saving the others from that speedy injury or destruction which befals books in the daily transit between home and school. They will be more portable and convenient, more fair and scholar-like in the class-room—not open to the just and reasonable objection which Tutors make to editions so charged with notes, that they almost amount to a translation.

Some years ago, the Subscribers made the attempt to introduce a uniform series of Books into the Common Schools of Canada. Their design was heartily seconded by the Board of Education in Ireland, who promptly and with the utmost liberality placed the copyright of their valuable Text Books at their disposal. At a very considerable expence of labour and money, the Subscribers, in a shorter period than they anticipated, succeeded in introducing the Books into almost every section of the Province. Since then the indefatigable and intelligent Superintendent of Education in Canada West, who, at an early period, expressed to the Subscribers his favourable opinion of these Books, having himself obtained permission to reprint them, delegated the right to other Booksellers in Canada, by whom, and by the Subscribers under their original grant from the Irish Board, the Province is now abundantly supplied with these excellent Books.

CAII CORNELII TACITI

AGRICOLA.

FROM THE TEXT OF BROTIER,

CAREFULLY REVISED.

MONTREAL:
ARMOUR & RAMSAY.

1849.

BREVIARIUM VITÆ

CNEI JULII AGRICOLÆ.

IN scribenda clarorum virorum vita mos. Pericula. Tacito animos addit præsens temporum felicitas. Cnei Julii Agricolæ stirps, pueritia : adolescentiæ studia. Prima castrorum rudimenta in Britannia. Ejus matrimonium : quæstura : tribunatus plebis : prætura : sacra ædilitas. Othoniano bello matrem, partemque patrimonii amittit. In Vespasiani partes transgressus, vicesimæ legioni in Britannia præest. Ibi alienæ famæ cura suam promovet. Inter patricios adsciscitur : Aquitaniam regit. Inde consul, Tacito filiam suam uxorem dat; Britanniæ præponitur, adjecto pontificatus sacerdotio. Britanniæ descriptio. Incolarum origo, habitus, sacra, sermo, mores. Eorum militia, regimen, conventus : cœlum, solum, metalla, margarita. Victæ gentis ingenium. Cæsarum in Britanniam expeditiones. Consulares legati Aulus Plautius, Ostorius Scapula, Didius Gallus, Veranius, Suetonius Paullinus. Britanniæ rebellio. Boadicea, generis regii femina, Britannorum dux. Motum hunc compescit Paullinus ; cui successere Trebellius Maximus et Vettius Bolanus, sed ignavi. Rem restituunt magni duces, Petilius Cerialis et Julius Frontinus. Agricola Britanniæ præficitur. Victis Ordovicibus, Monam insulam in deditionem recipit. Præclaræ artes, quibus provinciam regit, bellorum causas amovent. Terrore, clementia parta pax. Liberalibus artibus et voluptatibus molliuntur Britannorum animi. Novæ gentes apertæ et vastatæ. Bello adquisita præsidiis firmantur. De occupanda Hibernia consilium. Civitates trans Bodotriam sitæ explorantur. Motus Caledoniorum. Ii nonam legionem adgrediuntur : cedunt territi. Redit tamen animus ; conspirantque civitates. Usipiorum cohors miro casu Britanniam circumvecta. Galgacus bellum parat; montemque Grampium occupat. Egregia ejus oratio. Romanos quoque adloquitur Agricola. Atrox cruentumque prœlium. Penes Romanos victoria. Britanniam circumvehi præcipit Agricola. Domitianus, fronte lætus, pectore anxius, nuntium victoriæ excipit. Triumphalia tamen ornamenta statuamque decerni jubet : condito odio, donec provincia decedat Agricola. Is, e Britannia redux, modeste agit. Ejus e principe, ex aula pericula. Excusat se, ne proconsulatum sortiatur. Moritur, Domitiani veneno, ut fama fuit, interceptus. Ejus ætas, forma, honores, opes. Mortis opportunitas, ante Domitiani atrocitates. Taciti in Agricolam pietas. Ex virtute solatia, virtutisque documenta. Agricolæ vitam scripsit Tacitns,

M. COCCEIO NERVA AUG. III., L. VERGINIO RUFO III. coss.
A.U.C, DCCCL. J. C. 97.

CNEI JULII AGRICOLÆ VITA,

SCRIPTORE

CAIO CORNELIO TACITO.

I. Clarorum virorum facta moresque posteris tradere, antiquitus usitatum, ne nostris quidem temporibus, quanquam incuriosa suorum ætas omisit, quotiens magna aliqua ac nobilis virtus vicit ac supergressa est vitium, parvis magnisque civitatibus commune, ignorantiam recti et invidiam. Sed apud priores, ut agere memoratu digna pronum magisque in aperto erat; ita celeberrimus quisque ingenio, ad prodendam virtutis memoriam, sine gratia aut ambitione, bonæ tantum conscientiæ pretio, ducebatur. Ac plerique suam ipsi vitam narrare, fiduciam potius morum, quam arrogantiam arbitrati sunt : nec id Rutilio et Scauro citra fidem, aut obtrectationi fuit : adeo virtutes iisdem temporibus optime æstimantur, quibus facillime gignuntur. At mihi nunc, narraturo vitam defuncti hominis, venia opus fuit : quam non petissem, ni cursaturus tam sæva et infesta virtutibus tempora.

II. Legimus, cum Aruleno Rustico Pætus Thrasea, Herennio Senecioni Priscus Helvidius laudati essent, capitale fuisse : neque in ipsos modo auctores, sed in libros quoque eorum sævitum, delegato triumviris ministerio, ut monimenta clarissimorum ingeniorum in comitio ac foro urerentur. Scilicet illo igne vocem populi Romani, et libertatem senatus, et conscientiam generis humani aboleri arbitrabantur, expulsis insuper sapientiæ professoribus, atque omni bona arte in exsilium acta, ne quid usquam honestum occurreret. Dedimus profecto grande patientiæ documentum : et sicut vetus ætas vidit, quid ultimum in libertate esset; ita nos quid in servitute, adempto per inquisitiones et loquendi audiendique commercio. Memoriam quoque ipsam cum voce perdidis-

semus, si tam in nostra potestate esset oblivisci quam tacere.

III. Nunc demum redit animus; et quanquam, primo statim beatissimi sæculi ortu, Nerva Cæsar res olim dissociabiles miscuerit, principatum ac libertatem, augeatque quotidie felicitatem imperii Nerva Trajanus, nec spem modo ac votum securitas publica, sed ipsius voti fiduciam, ac robur adsumpserit: natura tamen infirmitatis humanæ, tardiora sunt remedia, quam mala; et ut corpora lente augescunt, cito exstinguuntur, sic ingenia studiaque oppresseris facilius, quam revocaveris. Subit quippe etiam ipsius inertiæ dulcedo: et invisa primo desidia postremo amatur. Quid si, per quindecim annos, grande mortalis ævi spatium, multi fortuitis casibus, promptissimus quisque sævitia principis interciderunt? Pauci, et, ut ita dixerim, non modo aliorum, sed etiam nostri superstites sumus; exemtis e media vita tot annis, quibus juvenes ad senectutem, senes prope ad ipsos exactæ ætatis terminos per silentium venimus: non tamen pigebit, vel incondita ac rudi voce, memoriam prioris servitutis, ac testimonium præsentium bonorum composuisse. His interim liber honori Agricolæ, soceri mei, destinatus, professione pietatis aut laudatus erit aut excusatus.

IV. Cnæus Julius Agricola, veteri et illustri Forojuliensium colonia ortus, utrumque avum procuratorem Cæsarum habuit: quæ equestris nobilitas est: pater Julius Græcinus senatorii ordinis, studio eloquentiæ sapientiæque notus, iisque virtutibus iram Caii Cæsaris meritus. Namque Marcum Silanum accusare jussus, et, quia abnuerat, interfectus est. Mater Julia Procilla fuit, raræ castitatis: in hujus sinu indulgentiaque educatus, per omnem honestarum artium cultum pueritiam adolescentiamque transegit. Arcebat eum ab illecebris peccantium, præter ipsius bonam integramque naturam, quod statim parvulus sedem ac magistram studiorum Massiliam habuerit, locum Græca comitate et provinciali parcimonia mistum, ac bene compositum. Memoria teneo, solitum ipsum narrare, "se in prima juventa studium philosophiæ acrius, ultra quam concessum Romano ac senatori, hausisse, ni prudentia matris incensum

ac flagrantem animum coercuisset :" scilicet sublime et erectum ingenium, pulchritudinem ac speciem excelsæ magnæque gloriæ vehementius, quam caute, appetebat : mox mitigavit ratio et ætas : retinuitque, quod est difficillimum, ex sapientia modum

V. Prima castrorum rudimenta in Britannia Suetonio Paullino, diligenti ac moderato duci, adprobavit : electus, quem contubernio æstimaret. Nec Agricola licenter, more juvenum, qui militiam in lasciviam vertunt, neque segniter, ad voluptates et commeatus, titulum tribunatus et inscitiam retulit : sed noscere provinciam, nosci exercitui, discere a peritis, sequi optimos, nihil appetere jactatione, nihil ob formidinem recusare, simulque et anxius et intentus agere. Non sane alias exercitatior, magisque in ambiguo Britannia fuit : trucidati veterani, incensæ coloniæ, intercepti exercitus : tum de salute, mox de victoria certavere. Quæ cuncta etsi consiliis ductuque alterius agebantur, ac summa rerum, et reciperatæ provinciæ gloria in ducem cessit ; artem et usum et stimulos addidere juveni : intravitque animum militaris gloriæ cupido, ingrata temporibus, quibus sinistra erga eminentes interpretatio, nec minus periculum ex magna fama, quam ex mala.

VI. Hinc ad capessendos magistratus in urbem digressus, Domitiam Decidianam, splendidis natalibus ortam, sibi junxit : idque matrimonium ad majora nitenti decus ac robur fuit : vixeruntque mira concordia, per mutuam caritatem, et invicem se anteponendo, nisi quod in bona uxore tanto major laus, quanto in mala plus culpæ est. Sors quæsturæ provinciam Asiam, proconsulem Salvium Titianum dedit; quorum neutro corruptus est : quanquam et provincia dives, ac parata peccantibus, et proconsul, in omnem aviditatem pronus, quantalibet facilitate redempturus esset mutuam dissimulationem mali. Auctus est ibi filia, in subsidium simul et solatium : nam filium, ante sublatum, brevi amisit. Mox inter quæsturam, ac tribunatum plebis, atque etiam ipsum tribunatus annum quiete et otio transit, gnarus sub Nerone temporum, quibus inertia pro sapientia fuit. Idem præturæ tenor, et silentium : nec enim jurisdictio obvenerat. Ludos et inania honoris modo rationis atque

abundantiæ duxit, uti longe a luxuria, ita famæ propior. Tum electus a Galba ad dona templorum recognoscenda, diligentissima conquisitione fecit, ne cujus alterius sacrilegium respublica, quam Neronis, sensisset.

VII. Sequens annus gravi vulnere animum domumque ejus adflixit: nam classis Othoniana, licenter vaga, dum Intemelios (Liguriæ pars est) hostiliter populatur, matrem Agricolæ in prædiis suis interfecit: prædiaque ipsa, et magnam patrimonii partem, diripuit, quæ causa cædis fuerat. Igitur ad sollemnia pietatis profectus Agricola, nuntio affectati a Vespasiano imperii deprehensus, ac statim in partes transgressus est. Initia principatus, ac statum urbis Mucianus regebat, admodum juvene Domitiano, et ex paterna fortuna tantum licentiam usurpante. Is missum ad delectus agendos Agricolam, integreque ac strenue versatum, vicesimæ legioni, tarde ad sacramentum transgressæ, præposuit, ubi decessor seditiose agere narrabatur: quippe legatis quoque consularibus nimia ac formidolosa erat. Nec legatus prætorius ad cohibendum potens, incertum suo an militum ingenio: ita successor simul et ultor electus, rarissima moderatione maluit videri invenisse bonos, quam fecisse.

VIII. Præerat tunc Britanniæ Vettius Bolanus, placidius quam feroci provincia dignum est: temperavit Agricola vim suam, ardoremque compescuit, ne incresceret; peritus obsequi, eruditusque utilia honestis miscere. Brevi deinde Britannia consularem Petilium Cerialem accepit. Habuerunt virtutes spatium exemplorum. Sed primo Cerialis modo labores et discrimina, mox et gloriam communicabat; sæpe parti exercitus in experimentum, aliquando majoribus copiis ex eventu præfecit: nec Agricola unquam in suam famam gestis exsultavit; ad auctorem et ducem ut minister fortunam referebat: ita virtute in obsequendo, verecundia in prædicando, extra invidiam, nec extra gloriam erat.

IX. Revertentem ab legatione legionis divus Vespasianus inter patricios adscivit, ac deinde provinciæ Aquitaniæ præposuit, splendidæ in primis dignitatis, administratione ac spe consulatus, cui destinarat. Credunt plerique militaribus ingeniis subtilitatem deese, quia castrensis jurisdictio secura et obtusior, ac plura manu

agens, calliditatem fori non exerceat. Agricola naturali prudentia, quamvis inter togatos, facile justeque agebat. Jam vero tempora curarum remissionumque divisa : ubi conventus ac judicia poscerent, gravis, intentus, severus, et sæpius misericors : ubi officio satisfactum, nulla ultra potestatis persona : tristitiam, et arrogantiam, et avaritiam exuerat: nec illi, quod est rarissimum, aut facilitas auctoritatem, aut severitas amorem deminuit. Integritatem atque abstinentiam in tanto viro referre, injuria virtutum fuerit. Ne famam quidem, cui etiam sæpe boni indulgent, ostentanda virtute, aut per artem quæsivit : procul ab æmulatione adversus collegas, procul a contentione adversus procuratores : et vincere inglorium, et atteri sordidum arbitrabatur. Minus triennium in ea legatione detentus, ac statim ad spem consulatus revocatus est, comitante opinione Britanniam ei provinciam dari : nullis in hoc suis sermonibus, sed quia par videbatur. Haud semper errat fama, aliquando et eligit. Consul egregiæ tum spei filiam juveni mihi despondit, ac post consulatum collocavit, et statim Britanniæ præpositus est, adjecto pontificatus sacerdotio.

X. Britanniæ situm populosque, multis scriptoribus memoratos, non in comparationem curæ ingeniive referam ; sed quia tum primum perdomita est : itaque, quæ priores nondum comperta, eloquentia percoluere, rerum fide tradentur. Britannia, insularum, quas Romana notitia complectitur, maxima, spatio ac cœlo in orientem Germaniæ, in occidentem Hispaniæ obtenditur : Gallis in meridiem etiam inspicitur : septemtrionalia ejus, nullis contra terris, vasto atque aperto mari pulsantur. Formam totius Britanniæ Livius veterum, Fabius Rusticus recentium, eloquentissimi auctores, oblongæ scutulæ, vel bipenni adsimulavere : et est ea facies citra Caledoniam, unde et in universum fama est transgressa : sed immensum et enorme spatium procurrentium extremo jam litore terrarum, velut in cuneum tenuatur. Hanc oram novissimi maris tunc primum Romana classis circumvecta, insulam esse Britanniam adfirmavit, ac simul incognitas ad id tempus insulas, quas Orcadas vocant, invenit domuitque : dispecta est et Thule, quam hactenus nix et hiems abdebat : sed mare pigrum et grave remi-

gantibus perhibent: ne ventis quidem perinde attolli: credo quod rariores terræ montesque, causa ac materia tempestatum, et profunda moles continui maris tardius impellitur. Naturam Oceani atque æstus neque quærere hujus operis est, ac multi retulere; unum addiderim, nusquam latius dominari mare, multum fluminum huc atque illuc ferre, nec litore tenus accrescere aut resorberi, sed influere penitus atque ambire, et jugis etiam ac montibus inseri velut in suo.

XI. Ceterum, Britanniam qui mortales initio coluerint, indigenæ an advecti, ut inter barbaros, parum compertum. Habitus corporum varii: atque ex eo argumenta: namque rutilæ Caledoniam habitantium comæ, magni artus, Germanicam originem adseverant. Silurum colorati vultus, et torti plerumque crines, et posita contra Hispania, Iberos veteres trajecisse, easque sedes occupasse fidem faciunt: proximi Gallis et similes sunt: seu durante originis vi; seu, procurrentibus in diversa terris, positio cœli corporibus habitum dedit: in universum tamen æstimanti, Gallos vicinum solum occupasse, credibile est. Eorum sacra deprehendas, superstitionum persuasione: sermo haud multum diversus: in deposcendis periculis eadem audacia; et, ubi advenere, in detrectandis eadem formido: plus tamen ferociæ Britanni præferunt, ut quos nondum longa pax emollierit: nam Gallos quoque in bellis floruisse accepimus: mox segnitia cum otio intravit, amissa virtute pariter ac libertate: quod Britannorum olim victis evenit: ceteri manent, quales Galli fuerunt.

XII. In pedite robur: quædam nationes et curru prœliantur: honestior auriga, clientes propugnant. Olim regibus parebant, nunc per principes factionibus et studiis trahuntur: nec aliud adversus validissimas gentes pro nobis utilius, quam quod in commune non consulunt. Rarus duabus tribusve civitatibus ad propulsandum commune periculum conventus: ita, dum singuli pugnant, universi vincuntur. Cœlum crebris imbribus ac nebulis fœdum: asperitas frigorum abest. Dierum spatia ultra nostri orbis mensuram; nox clara, et extrema Britanniæ parte brevis, ut finem atque initium lucis exiguo discrimine internoscas. Quod si nubes non officiant,

aspici per noctem solis fulgorem, nec occidere et exsurgere, sed transire adfirmant: scilicet extrema et plana terrarum, humili umbra, non erigunt tenebras, infraque cœlum et sidera nox cadit. Solum, præter oleam vitemque et cetera calidioribus terris oriri sueta, patiens frugum, fecundum: tarde mitescunt, cito proveniunt: eademque utriusque rei causa, multus humor terrarum cœlique. Fert Britannia aurum, et argentum, et alia metalla, pretium victoriæ: gignit et Oceanus margarita, sed subfusca ac liventia. Quidam artem abesse legentibus arbitrantur; nam in rubro mari viva ac spirantia saxis avelli; in Britannia, prout expulsa sint, colligi: ego facilius crediderim naturam margaritis deesse, quam nobis avaritiam.

XIII. Ipsi Britanni delectum, ac tributa, et injuncta imperii munera impigre obeunt, si injuriæ absint: has ægre tolerant, jam domiti ut pareant, nondum ut serviant. Igitur primus omnium Romanorum divus Julius cum exercitu Britanniam ingressus, quanquam prospera pugna terruerit incolas, ac litore potitus sit, potest videri ostendisse posteris, non tradidisse. Mox bella civilia, et in rempublicam versa principum arma, ac longa oblivio Britanniæ etiam in pace. Consilium id divus Augustus vocabat: Tiberius præceptum. Agitasse Caium Cæsarem de intranda Britannia satis constat, ni velox ingenio, mobilis pœnitentia, et ingentes adversus Germaniam conatus frustra fuissent. Divus Claudius auctor operis, transvectis legionibus auxiliisque, et adsumpto in partem rerum Vespasiano: quod initium venturæ mox fortunæ fuit: domitæ gentes, capti reges, et monstratus fatis Vespasianus.

XIV. Consularium primus Aulus Plautius præpositus, ac subinde Ostorius Scapula, uterque bello egregius; redactaque paulatim in formam provinciæ proxima pars Britanniæ: addita insuper veteranorum colonia: quædam civitates Cogiduno regi donatæ (is ad nostram usque memoriam fidissimus mansit), vetere ac jam pridem recepta populi Romani consuetudine, ut haberet instrumenta servitutis et reges. Mox Didius Gallus parta a prioribus continuit, paucis admodum castellis in ulteriora promotis, per quæ fama aucti officii quæreretur.

Didium Veranius excepit, isque intra annum exstinctus est. Suetonius hinc Paullinus biennio prosperas res habuit, subactis nationibus, firmatisque præsidiis: quorum fiducia Monam insulam, ut vires rebellibus ministrantem, adgressus, terga occasioni patefecit.

XV. Namque absentia legati remoto metu, Britanni agitare inter se mala servitutis, conferre injurias, et interpretando accendere. "Nihil profici patientia, nisi ut graviora, tanquam ex facili tolerantibus, imperentur: singulos sibi olim reges fuisse, nunc binos imponi; e quibus legatus in sanguinem, procurator in bona sæviret: Æque discordiam præpositorum, æque concordiam subjectis exitiosam: alterius manus, centuriones alterius, vim et contumelias miscere: nihil jam cupiditati, nihil libidini exceptum: in prœlio fortiorem esse, qui spoliet: nunc ab ignavis plerumque et imbellibus eripi domos, abstrahi liberos, injungi delectus, tanquam mori tantum pro patria nescientibus: quantulum enim transisse militum, si sese Britanni numerent? sic Germanias excussisse jugum; et flumine, non Oceano, defendi: sibi patriam, conjuges, parentes; illis avaritiam et luxuriam causas belli esse: recessuros, ut divus Julius recessisset, modo virtutes majorum suorum æmularentur; neve prœlii unius aut alterius eventu pavescerent: plus impetus, majorem constantiam penes miseros esse. Jam Britannorum etiam deos misereri, qui Romanum ducem absentem, qui relegatum in alia insula exercitum detinerent: jam ipsos, quod difficillimum fuerit, deliberare: porro in ejusmodi consiliis periculosius esse deprehendi, quam audere."

XVI. His atque t libus invicem instincti, Boadicea, generis regii femina, duce (neque enim sexum in imperiis discernunt) sumpsere universi bellum: ac sparsos per castella milites consectati, expugnatis præsidiis, ipsam coloniam invasere, ut sedem servitutis: nec ullum in barbaris sævitiæ genus omisit ira et victoria. Quod nisi Paullinus, cognito provinciæ motu, propere subvenisset, amissa Britannia foret: quam unius prœlii fortuna veteri patientiæ restituit, tenentibus arma plerisque, quos conscientia defectionis, et propius ex legato timor agitabat. Hic cum egregius cetera, arroganter in deditos, et, ut

suæ quoque injuriæ ultor, durius consuleret; missus Petronius Turpilianus, tanquam exorabilior: et delictis hostium novus, eoque pœnitentiæ mitior, compositis prioribus, nihil ultra ausus, Trebellio Maximo provinciam tradidit. Trebellius segnior, et nullis castrorum experimentis, comitate quadam curandi provinciam tenuit. Didicere jam barbari quoque ignoscere vitiis blandientibus: et interventus civilium armorum præbuit justam segnitiæ excusationem: sed discordia laboratum, cum adsuetus expeditionibus miles otio lasciviret. Trebellius, fuga ac latebris vitata exercitus ira, indecorus atque humilis, precario mox præfuit: ac velut pacti, exercitus licentiam, dux salutem: hæc seditio sine sanguine stetit. Nec Vettius Bolanus, manentibus adhuc civilibus bellis, agitavit Britanniam disciplina. Eadem inertia erga hostes, similis petulantia castrorum: nisi quod innocens Bolanus, et nullis delictis invisus, caritatem paraverat loco auctoritatis.

XVII. Sed ubi cum cetero orbe Vespasianus et Britanniam reciperavit; magni duces, egregii exercitus, minuta hostium spes: et terrorem statim intulit Petilius Cerialis, Brigantum civitatem, quæ numerosissima provinciæ totius perhibetur, adgressus: multa prœlia, et aliquando non incruenta; magnamque Brigantum partem aut victoria amplexus, aut bello. Et cum Cerialis quidem alterius successoris curam famamque obruisset, sustinuit quoque molem Julius Frontinus, vir magnus, quantum licebat, validamque et pugnacem Silurum gentem armis subegit; super virtutem hostium, locorum quoque difficultates eluctatus.

XVIII. Hunc Britanniæ statum, has bellorum vices media jam æstate transgressus Agricola invenit, cum et milites, velut omissa expeditione, ad securitatem, et hostes ad occasionem verterentur. Ordovicum civitas, haud multo ante adventum ejus, alam, in finibus suis agentem, prope universam obtriverat: eoque initio erecta provincia, et quibus bellum volentibus erat, probare exemplum, aut recentis legati animum opperiri. Tum Agricola, quanquam transacta æstas, sparsi per provinciam numeri, præsumpta apud militem illius anni quies, tarda et contraria bellum inchoaturo, et, plerisque custodiri

suspecta potius videbatur, ire obviam discrimini statuit: contractisque legionum vexillis, et modica auxiliorum manu, quia in æquum degredi Ordovices non audebant, ipse ante agmen, quo ceteris par animus simili periculo esset, erexit aciem: cæsaque prope universa gente, non ignarus instandum famæ, ac, prout prima cessissent, fore universa; Monam insulam, cujus possessione revocatum Paullinum rebellione totius Britanniæ supra memoravi, redigere in potestatem animo intendit. Sed, ut in dubiis consiliis, naves deerant: ratio et constantia ducis transvexit. Depositis omnibus sarcinis, lectissimos auxiliarium, quibus nota vada, et patrius nandi usus, quo simul seque, et arma, et equos regunt, ita repente immisit, ut obstupefacti hostes, qui classem, qui naves, qui mare exspectabant, nihil arduum aut invictum crediderint sic ad bellum venientibus. Ita petita pace, ac dedita insula, clarus ac magnus haberi Agricola: quippe cui ingredienti provinciam, quod tempus alii per ostentationem, aut officiorum ambitum transigunt, labor et periculum placuisset. Nec Agricola, prosperitate rerum in vanitatem usus, expeditionem aut victoriam vocabat, victos continuisse: ne laureatis quidem gesta prosecutus est: sed ipsa dissimulatione famæ famam auxit, æstimantibus quanta futuri spe tam magna tacuisset.

XIX. Ceterum animorum provinciæ prudens, simulque doctus per aliena experimenta, parum profici armis, si injuriæ sequerentur, causas bellorum statuit exscindere. A se suisque orsus, primam domum suam coercuit; quod plerisque haud minus arduum est, quam provinciam regere. Nihil per libertos servosque publicæ rei: non studiis privatis, nec ex commendatione, aut precibus centurionum milites adscire, sed optimum quemque fidelissimum putare: omnia scire, non omnia exsequi: parvis peccatis veniam, magnis severitatem commodare: nec pœna semper, sed sæpius pœnitentia contentus esse: officiis et administrationibus potius non peccaturos præponere, quam damnare cum peccassent. Frumenti et tributorum auctionem æqualitate munerum mollire, circumcisis, quæ in quæstum reperta, ipso tributo gravius tolerabantur: namque per ludibrium adsidere clausis horreis, et emere ultro frumenta, ac vendere

pretio cogebantur: devortia itinerum, et longinquitas regionum indicebatur, ut civitates a proximis hibernis in remota et avia deferrent, donec, quod omnibus in promptu erat, paucis lucrosum fieret.

XX. Hæc primo statim anno comprimendo, egregiam famam paci circumdedit: quæ vel incuria, vel tolerantia priorum, haud minus quam bellum timebatur. Sed ubi æstas advenit, contracto exercitu, multus in agmine, laudare modestiam, disjectos coercere: loca castris ipse capere, æstuaria ac silvas ipse prætentare: et nihil interim apud hostes quietum pati, quominus subitis excursibus popularetur: atque ubi satis terruerat, parcendo rursus inritamenta pacis ostentare. Quibus rebus multæ civitates, quæ in illum diem ex æquo egerant, datis obsidibus, iram posuere, et præsidiis castellisque circumdatæ, tanta ratione curaque, ut nulla ante Britanniæ nova pars inlacessita transierit.

XXI. Sequens hiems saluberrimis consiliis absumta: namque ut homines dispersi ac rudes, eoque bello faciles, quieti et otio per voluptates adsuescerent, hortari privatim, adjuvare publice, ut templa, fora, domus exstruerent, laudando promptos, et castigando segnes: ita honoris æmulatio pro necessitate erat. Jam vero principum filios liberalibus artibus erudire, et ingenia Britannorum studiis Gallorum anteferre, ut qui modo linguam Romanam abnuebant, eloquentiam concupiscerent: inde etiam habitus nostri honor, et frequens toga: paullatimque discessum ad delinimenta vitiorum, porticus, et balnea, et conviviorum elegantiam: idque apud imperitos "humanitas" vocabatur, cum pars servitutis esset.

XXII. Tertius expeditionum annus novas gentes aperuit, vastatis usque ad Taum (æstuario nomen est) nationibus: qua formidine territi hostes, quanquam conflictatum sævis tempestatibus exercitum, lacessere non ausi: ponendisque insuper castellis spatium fuit. Adnotabant periti, non alium ducem opportunitates locorum sapientius legisse: nullum ab Agricola positum castellum, aut vi hostium expugnatum, aut pactione ac fuga desertum. Crebræ eruptiones: nam adversus moras obsidionis annuis copiis firmabantur: ita intrepida ibi

hiems, et sibi quisque præsidio, irritis hostibus, eoque desperantibus, quia soliti plerumque damna æstatis hibernis eventibus pensare, tum æstate atque hieme juxta pellebantur. Nec Agricola unquam per alios gesta avidus intercepit: seu centurio, seu præfectus, incorruptum facti testem habebat. Apud quosdam acerbior in conviciis narrabatur: ut erat bonis comis, ita adversus malos injucundus; ceterum ex iracundia nihil supererat: secretum et silentium ejus non timeres: honestius putabat offendere, quam odisse.

XXIII. Quarta æstas obtinendis, quæ percurrerat, insumpta: ac si virtus exercituum, et Romani nominis gloria pateretur, inventus in ipsa Britannia terminus. Nam Clota et Bodotria, diversi maris æstibus per immensum revectæ, angusto terrarum spatio dirimuntur: quod tum præsidiis firmabatur: atque omnis propior sinus tenebatur, summotis velut in aliam insulam hostibus.

XXIV. Quinto expeditionum anno, nave prima transgressus, ignotas ad id tempus gentes crebris simul ac prosperis prœliis domuit: eamque partem Britanniæ, quæ Hiberniam aspicit, copiis instruxit, in spem magis, quam ob formidinem: siquidem Hibernia, medio inter Britanniam atque Hispaniam sita, et Gallico quoque mari opportuna, valentissimam imperii partem magnis invicem usibus miscuerit. Spatium ejus, si Britanniæ comparetur, angustius, nostri maris insulas superat. Solum cœlumque, et ingenia cultusque hominum haud multum a Britannia differunt: melius aditus portusque per commercia et negotiatores cogniti. Agricola expulsum seditione domestica unum ex regulis gentis exceperat, ac specie amicitiæ in occasionem retinebat. Sæpe ex eo audivi, legione una et modicis auxiliis debellari obtinerique Hiberniam posse. Idque etiam adversus Britanniam profuturum, si Romana ubique arma, et velut e conspectu libertas tolleretur.

XXV. Ceterum æstate, qua sextum officii annum inchoabat, amplexus civitates trans Bodotriam sitas, quia motus universarum ultra gentium, et infesta hostili exercitu itinera timebantur, portus classe exploravit: quæ ab Agricola primum absumpta in partem virium, seque-

batur egregia specie, cum simul terra, simul mari bellum impelleretur, ac sæpe iisdem castris pedes, equesque, et nauticus miles, mixti copiis et lætitia, sua quisque facta, suos casus attollerent : ac modo "silvarum et montium profunda," modo "tempestatum ac fluctuum adversa," hinc "terra et hostis," hinc "auctus Oceanus" militari jactantia compararentur. "Britannos" quoque, ut ex captivis audiebatur, "visa classis obstupefaciebat, tanquam, aperto maris sui secreto, ultimum victis perfugium clauderetur." Ad manus et arma conversi Caledoniam incolentes populi, paratu magno, majore fama, uti mos est de ignotis, "oppugnasse ultro," castella adorti, metum, ut provocantes, addiderant : "regrediendumque citra Bodotriam, et excedendum potius quam pellerentur," ignavi specie prudentium admonebant : cum interim cognoscit, "hostes pluribus agminibus inrupturos." Ac ne superante numero, et peritia locorum circumiretur, diviso et ipse in tres partes exercitu incessit.

XXVI. Quod ubi cognitum hosti, mutato repente consilio, universi nonam legionem, ut maxime invalidam, nocte adgressi, inter somnum ac trepidationem cæsis vigilibus, inrupere. Jamque in ipsis castris pugnabant, cum Agricola, iter hostium ab exploratoribus edoctus, et vestigiis insecutus, velocissimos equitum peditumque adsultare tergis pugnantium jubet, mox ab universis adjici clamorem : et propinqua luce fulsere signa : ita ancipiti malo territi Britanni : et Romanis redit animus ; ac securi pro salute, de gloria certabant : ultro quin etiam erupere : et fuit atrox in ipsis portarum angustiis prœlium, donec pulsi hostes : utroque exercitu certante, his, ut tulisse opem, illis, ne eguisse auxilio viderentur : quod nisi paludes et silvæ fugientes texissent, debellatum illa victoria foret.

XXVII. Cujus constantia ac fama ferox exercitus, "nihil virtuti suæ invium : penetrandam Caledoniam, inveniendumque tandem Britanniæ terminum, continuo prœliorum cursu," fremebant : atque illi modo cauti ac sapientes, prompti post eventum ac magniloqui erant ; iniquissima hæc bellorum conditio est : prospera omnes sibi vindicant, adversa uni imputantur. At Britanni non virtute, sed occasione et arte ducis rati, nihil ex arrogan-

tia remittere, quominus juventutem armarent, conjuges ac liberos in loca tuta transferrent, cœtibus ac sacrificiis conspirationem civitatum sancirent: atque ita inrîtatis utrimque animis discessum.

XXVIII. Eadem æstate cohors Usipiorum, per Germanias conscripta, et in Britanniam transmissa, magnum ac memorabile facinus ausa est. Occiso centurione ac militibus, qui ad tradendam disciplinam immixti manipulis, exemplum et rectores habebantur, tres liburnicas, adactis per vim gubernatoribus, ascendere: et uno remigrante, suspectis duobus, eoque interfectis, nondum vulgato rumore, ut miraculum provehebantur: mox hac atque illa rapti, et cum plerisque Britannorum sua defensantium prœlio congressi, ac sæpe victores, aliquando pulsi, eo ad extremum inopiæ venere, ut infirmissimos suorum, mox sorte ductos vescerentur: atque ita circumvecti Britanniam, amissis per inscitiam regendi navibus, pro prædonibus habiti, primum a Suevis, mox a Frisiis intercepti sunt: ac fuere, quos per commercia venumdatos, et in nostram usque ripam mutatione ementium adductos, indicium tanti casus inlustravit. Initio æstatis Agricola, domestico vulnere ictus, anno ante natum filium amisit. Quem casum neque, ut plerique fortium virorum, ambitiose, neque per lamenta rursus ac mœrorem muliebriter tulit: et in luctu bellum inter remedia erat.

XXIX. Igitur præmissa classe, quæ pluribus locis prædata, magnum et incertum terrorem faceret, expedito exercitu, cui ex Britannis fortissimos, et longa pace exploratos addiderat, ad montem Grampium pervenit, quem jam hostes insederant. Nam Britanni, nihil fracti pugnæ prioris eventu, et ultionem aut servitium exspectantes, tandemque docti, commune periculum concordia propulsandum, legationibus et fœderibus omnium civitatum vires exciverant. Jamque super triginta millia armatorum aspiciebantur, et adhuc adfluebat omnis juventus, et quibus cruda ac viridis senectus, clari bello, ac sua quisque decora gestantes: cum inter plures duces virtute et genere præstans, nomine Galgacus, apud contractam multitudinem, prœlium poscentem, in hunc modum locutus fertur.

XXX. "Quotiens causas belli, et necessitatem nos-

tram intueor, magnus mihi animus est, hodiernum diem, consensumque vestrum, initium libertatis totius Britanniæ fore. Nam et universi servitutis expertes, et nullæ ultra terræ, ac ne mare quidem securum, imminente nobis classe Romana: ita prœlium atque arma, quæ fortibus honesta, eadem etiam ignavis tutissima sunt. Priores pugnæ, quibus adversus Romanos varia fortuna certatum est, spem ac subsidium in nostris manibus habebant: quia nobilissimi totius Britanniæ, eoque in ipsis penetralibus siti, nec servientium litora aspicientes,oculos quoque a contactu dominationis inviolatos habebamus. Nos, terrarum ac libertatis extremos, recessus ipse ac sinus famæ in hunc diem defendit: nunc terminus Britanniæ patet: atque omne ignotum pro magnifico est. Sed nulla jam ultra gens, nihil nisi fluctus et saxa, et infestiores Romani: quorum superbiam frustra per obsequium et modestiam effugeris: raptores orbis, postquam cuncta vastantibus defuere terræ, et mare scrutantur; si locuples hostis est, avari: si pauper, ambitiosi: quos non Oriens, non Occidens satiaverit: soli omnium opes atque inopiam pari affectu concupiscunt; auferre, trucidare, rapere falsis nominibus, *imperium;* atque ubi solitudinem faciunt, *pacem* appellant."

XXXI. "Liberos cuique ac propinquos suos natura carissimos esse voluit: hi per delectus, alibi servituri, auferuntur: conjuges sororesque, etsi hostilem libidinem effugiant, nomine *amicorum* atque *hospitum* polluuntur. Bona fortunasque in tributum egerunt; in annonam frumentum: corpora ipsa ac manus, silvis ac paludibus emuniendis, inter verbera ac contumelias, conterunt. Nata servituti mancipia semel veneunt, atque ultro a dominis aluntur: Britannia servitutem suam quotidie emit, quotidie pascit. Ac sicut in familia recentissimus quisque servorum et conservis ludibrio est; sic in hoc orbis terrarum vetere famulatu, novi nos et viles in excidium petimur. Neque enim arva nobis, aut metalla, aut portus sunt, quibus exercendis reservemur. Virtus porro ac ferocia subjectorum ingrata imperantibus: et longinquitas ac secretum ipsum, quo tutius, eo suspectius. Ita sublata spe veniæ, tandem sumite animum, tam quibus salus, quam quibus gloria carissima est. Trinobantes,

femina duce, exurere coloniam, expugnare castra, ac nisi felicitas in socordiam vertisset, exuere jugum potuere: nos integri et indomiti, et libertatem non in præsentia laturi, primo statim congressu non ostendamus quos sibi Caledonia viros seposuerit?"

XXXII. "An eandem Romanis in bello virtutem, quam in pace lasciviam adesse creditis? Nostris illi dissensionibus ac discordiis clari, vitia hostium in gloriam exercitus sui vertunt: quem contractum ex diversissimis gentibus, ut secundæ res tenent, ita adversæ dissolvent: nisi si Gallos, et Germanos, et (pudet dictu) Britannorum plerosque, licet dominationi alienæ sanguinem commodent, diutius tamen hostes quam servos, fide et affectu teneri putatis: metus et terror est, infirma vincula caritatis: quæ ubi removeris, qui timere desierint, odisse incipient. Omnia victoriæ incitamenta pro nobis sunt: nullæ Romanos conjuges accendunt: nulli parentes fugam exprobraturi sunt: aut nulla plerisque patria, aut alia est: paucos numero, circum trepidos ignorantia, cœlum ipsum, ac mare, et silvas, ignota omnia circumspectantes, clausos quodammodo ac vinctos dii nobis tradiderunt. Ne terreat vanus aspectus, et auri fulgor atque argenti, quod neque tegit, neque vulnerat. In ipsa hostium acie inveniemus nostras manus: agnoscent Britanni suam causam: recordabuntur Galli priorem libertatem: deserent illos ceteri Germani, tanquam nuper Usipii reliquerunt. Nec quidquam ultra formidinis: vacua castella, senum coloniæ, inter male parentes et injuste imperantes, ægra municipia, et discordantia: hic dux, hic exercitus: ibi tributa et metalla, et ceteræ servientium pœnæ, quas in æternum proferre, aut statim ulcisci, in hoc campo est. Proinde ituri in aciem, et majores vestros, et posteros cogitate."

XXXIII. Excepere orationem alacres, et barbari moris cantu, et fremitu, clamoribusque dissonis. Jamque agmina, et armorum fulgores, audentissimi cujusque procursu: simul instruebantur acies: cum Agricola, quanquam lætum, et vix munimentis coercitum militem accendendum adhuc ratus, ita disseruit: "Octavus annus est, commilitones, ex quo virtute et auspiciis imperii Romani, fide atque opera vestra Britanniam vicistis: tot

expeditionibus, tot prœliis, seu fortitudine adversus hostes, seu patientia ac labore pæne adversus ipsam rerum naturam opus fuit, neque me militum, neque vos ducis pœnituit. Ergo egressi, ego veterum legatorum, vos priorum exercituum terminos, finem Britanniæ, non fama, nec rumore, sed castris et armis tenemus. Inventa Britannia, et subacta. Equidem sæpe in agmine, cum vos paludes, montesve et flumina fatigarent, fortissimi cujusque voces audiebam: Quando dabitur hostis, quando acies? Veniunt e latebris suis extrusi: et vota virtusque in aperto, omniaque prona victoribus, atque eadem victis adversa. Nam ut superasse tantum itineris, silvas evasisse, transisse æstuaria, pulchrum ac decorum in frontem; ita fugientibus periculosissima, quæ hodie prosperrima sunt. Neque enim nobis aut locorum eadem notitia, aut commeatum eadem abundantia: sed manus, et arma, et in his omnia. Quod ad me attinet, jam pridem mihi decretum est, neque exercitus, neque ducis terga tuta esse. Proinde et honesta mors turpi vita potior; et incolumitas ac decus eodem loco sita sunt: nec inglorium fuerit, in ipso terrarum ac naturæ fine cecidisse."

XXXIV. "Si novæ gentes atque ignota acies constitisset; aliorum exercituum exemplis vos hortarer: nunc vestra decora recensete, vestros oculos interrogate. Ii sunt, quos proximo anno, unam legionem furto noctis adgressos, clamore debellastis: ii ceterorum Britannorum fugacissimi, ideoque tamdiu superstites. Quomodo silvas saltusque penetrantibus, fortissimum quodque animal contra ruere, pavida et inertia ipso agminis sono pelluntur; sic acerrimi Britannorum jam pridem ceciderunt: reliquus est numerus ignavorum et metuentium: quos quod tandem invenistis, non restiterunt, sed deprehensi sunt novissimi: res et extremo metu corpora defixere in his vestigiis, in quibus pulchram et spectabilem victoriam ederetis. Transigite cum expeditionibus, imponite quinquaginta annis magnum diem; adprobate reipublicæ nunquam exercitui imputari potuisse, aut moras belli, aut causas rebellandi."

XXXV. Et adloquente adhuc Agricola, militum ardor eminebat, et finem orationis ingens alacritas consecuta est, statimque ad arma discursum. Instinctos

ruentesque ita disposuit, ut peditum auxilia, quæ octo millia erant, mediam aciem firmarent, equitum tria millia cornibus adfunderentur: legiones pro vallo stetere, ingens victoriæ decus citra Romanum sanguinem bellanti, et auxilium si pellerentur. Britannorum acies in speciem simul ac terrorem editioribus locis constiterat, ita ut primum agmen æquo, ceteri per acclive jugum connexi velut insurgerent: media campi covinarius et eques strepitu ac discursu complebat. Tum Agricola, superante hostium multitudine, veritus, ne simul in frontem, simul et latera suorum pugnaretur, diductis ordinibus, quanquam porrectior acies futura erat, et "arcessendas" plerique "legiones" admonebant, promptior in spem, et firmus adversis, dimisso equo pedes ante vexilla constitit.

XXXVI. Ac primo congressu eminus certabatur: simul constantia, simul arte Britanni, ingentibus gladiis, et brevibus cetris, missilia nostrorum vitare, vel excutere; atque ipsi magnam vim telorum superfundere: donec Agricola tres Batavorum cohortes, ac Tungrorum duas cohortatus est, ut rem ad mucrones ac manus adducerent: quod et ipsis vetustate militiæ exercitatum, et hostibus inhabile, parva scuta et enormes gladios gerentibus: nam Britannorum gladii sine mucrone complexum armorum, et in arcto pugnam non tolerabant. Igitur, ut Batavi miscere ictus, ferire umbonibus, ora fœdare, et tractis, qui in æquo obstiterant, erigere in colles aciem cœpere; ceteræ cohortes, æmulatione et impetu commistæ, proximos quosque cædere: ac plerique semineces, aut integri, festinatione victoriæ relinquebantur. Interim equitum turmæ fugere, covinarii peditum se prœlio miscuere: et quanquam recentem terrorem intulerant, densis tamen hostium agminibus, et inæqualibus locis hærebant; minimeque equestris ea pugnæ facies erat, cum ægre diu stantes, simul equorum corporibus impellerentur; ac sæpe vagi currus, exterriti sine rectoribus equi, ut quemque formido tulerat, transversos aut obvios incursabant.

XXXVII. Et Britanni, qui adhuc pugnæ expertes summa collium insederant, et paucitatem nostrorum vacui spernebant, degredi paullatim, et circumire terga vincentium cœperant: ni id ipsum veritus Agricola qua-

tuor equitum alas, ad subita belli retentas, venientibus opposuisset, quantoque ferocius accurrerant, tanto acrius pulsos in fugam disjecisset. Ita consilium Britannorum in ipsos versum : transvectæque præcepto ducis a fronte pugnantium alæ, aversam hostium aciem invasere. Tum vero patentibus locis grande et atrox spectaculum : sequi, vulnerare, capere, atque eosdem, oblatis aliis, trucidare. Jam hostium, prout cuique ingenium erat, catervæ armatorum paucioribus terga præstare, quidam inermes ultro ruere, ac se morti offerre. Passim arma, et corpora, et laceri artus, et cruenta humus : et aliquando etiam victis ira virtusque : postquam silvis appropinquarunt, collecti, primos sequentium, incautos, et locorum ignaros, circumveniebant. Quod ni frequens ubique Agricola, validas et expeditas cohortes, indaginis modo, et sicubi arctiora erant, partem equitum, dimissis equis, simul rariores silvas equitem persultare jussisset, acceptum aliquod vulnus per nimiam fiduciam foret. Ceterum, ubi compositos firmis ordinibus sequi rursus videre, in fugam versi, non agminibus, ut prius, nec alius alium respectantes, rari, et vitabundi invicem, longinqua atque avia petiere : finis sequendi nox et satietas fuit : cæsa hostium ad decem millia : nostrorum trecenti sexaginta cecidere : in quis Aulus Atticus, præfectus cohortis, juvenili ardore, et ferocia equi hostibus illatus.

XXXVIII. Et nox quidem gaudio prædaque læta victoribus : Britanni palantes, mixtoque virorum mulierumque ploratu, trahere vulneratos, vocare integros, deserere domos, ac per iram ultro incendere : eligere latebras, et statim relinquere : miscere invicem consilia aliqua, dein separare : aliquando frangi aspectu pignorum suorum, sæpius concitari ; satisque constabat sævisse quosdam in conjuges ac liberos, tanquam misererentur. Proximus dies faciem victoriæ latius aperuit : vastum ubique silentium, secreti colles, fumantia procul tecta, nemo exploratoribus obvius : quibus in omnem partem dimissis, ubi incerta fugæ vestigia, neque usquam conglobari hostes compertum, et exacta jam æstate spargi bellum nequibat, in fines Horestorum exercitum deducit. Ibi acceptis obsidibus, præfecto classis " circumvehi

Britaniam" præcepit: datæ ad id vires, et præcesserat terror: ipse peditem atque equites lento itinere, quo novarum gentium animi ipsa transitus mora terrerentur, in hibernis locavit. Et simul classis secunda tempestate ac fama Trutulensem portum tenuit, unde proximo latere Britanniæ lecto omnis redierat.

XXXIX. Hunc rerum cursum, quanquam nulla verborum jactantia epistolis Agricolæ auctum, ut Domitiano moris erat, fronte lætus, pectore anxius excepit. Inerat conscientia, derisui fuisse nuper falsum e Germania triumphum, emptis per commercia, quorum habitus et crines in captivorum speciem formarentur: at nunc veram magnamque victoriam, tot millibus hostium cæsis, ingenti fama celebrari. Id sibi maxime formidolosum, privati hominis nomen supra principis attolli: frustra studia fori, et civilium artium decus in silentium acta, si militarem gloriam alius occuparet: et cetera utcunque facilius dissimulari, ducis boni imperatoriam virtutem esse. Talibus curis exercitus, quodque sævæ cogitationis indicium erat, secreto suo satiatus, optimum in præsentia statuit, reponere odium, donec impetus famæ et favor exercitus languesceret: nam etiam tum Agricola Britanniam obtinebat.

XL. Igitur "triumphalia ornamenta, et illustris statuæ honorem, et quidquid pro triumpho datur," multo verborum honore cumulata, decerni in senatu jubet, addique insuper opinionem, Syriam provinciam Agricolæ destinari, vacuam tum morte Atilii Rufi consularis, et majoribus reservatam. Credidere plerique, libertum ex secretioribus ministeriis missum ad Agricolam, codicillos, quibus ei Syria dabatur, tulisse, cum præcepto, ut, si in Britannia foret, traderentur: eumque libertum in ipso freto Oceani obvium Agricolæ, ne appellato quidem eo, ad Domitianum remeasse: sive verum istud, sive ex ingenio principis fictum ac compositum est. Tradiderat interim Agricola successori suo provinciam quietam tutamque. Ac ne notabilis celebritate et frequentia occurrentium introitus esset, vitato amicorum officio, noctu in urbem, noctu in palatium, ita ut præceptum erat, venit: exceptusque brevi osculo, et nullo sermone, turbæ servientium immixtus est. Ceterum ut militare nomen,

grave inter otiosos, aliis virtutibus temperaret, tranquillitatem atque otium penitus auxit, cultu modicus, sermone facilis, uno aut altero amicorum comitatus: adeo ut plerique, quibus magnos viros per ambitionem æstimare mos est, viso aspectoque Agricola, quærerent famam, pauci interpretarentur.

XLI. Crebro per eos dies apud Domitianum absens accusatus, absens absolutus est: causa periculi non crimen ullum, aut querela læsi cujusquam; sed infensus virtutibus princeps, et gloria viri, ac pessimum inimicorum genus, laudantes. Et ea insecuta sunt reipublicæ tempora, quæ sileri Agricolam non sinerent: tot exercitus in Mœsia Daciaque, et Germania Pannoniaque, temeritate aut per ignaviam ducum amissa; tot militares viri cum tot cohortibus expugnati et capti: nec jam de limite imperii et ripa, sed de hibernis legionum et possessione dubitatum. Ita cum damna damnis continuarentur, atque omnis annus funeribus et cladibus insigniretur, poscebatur ore vulgi dux Agricola: comparantibus cunctis vigorem, constantiam, et expertum bellis animum, cum inertia et formidine eorum. Quibus sermonibus satis constat Domitiani quoque aures verberatas, dum optimus quisque libertorum amore et fide, pessimi malignitate et livore, pronum deterioribus principem exstimulabant. Sic Agricola simul suis virtutibus, simul vitiis aliorum, in ipsam gloriam præceps agebatur.

XLII. Aderat jam annus, quo proconsulatum Asiæ et Africæ sortiretur, et occiso Civica nuper, nec Agricolæ consilium deerat, nec Domitiano exemplum. Accessere quidam, cogitationum principis periti, qui, "iturusne esset in provinciam," ultro Agricolam interrogarent: ac primo occultius "quietem et otium" laudare, mox "operam suam in adprobanda excusatione" offerre: postremo non jam obscuri, suadentes simul terrentesque, pertraxere ad Domitianum: qui paratus simulatione, in arrogantiam compositus, et audiit preces excusantis, et, cum adnuisset, agi sibi gratias passus est: nec erubuit beneficii invidia: salarium tamen, proconsulari solitum offerri, et quibusdam a seipso concessum, Agricolæ non dedit: sive offensus, non petitum; sive ex conscientia, ne, quod vetuerat, videretur emisse. Proprium humani ingenii est, odisse

quem læseris: Domitiani vero natura præceps in iram, et quo obscurior, eo irrevocabilior, moderatione tamen prudentiaque Agricolæ leniebatur: quia non contumacia, neque inani jactatione libertatis, famam fatumque provocabat. Sciant, quibus moris est illicita mirari, posse etiam sub malis principibus magnos viros esse: obsequiumque ac modestiam, si industria ac vigor adsint, eo laudis excedere, quo plerique per abrupta, sed in nullum reipublicæ usum, ambitiosa morte inclaruerunt.

XLIII. Finis vitæ ejus nobis luctuosus, amicis tristis, extraneis etiam ignotisque non sine cura fuit. Vulgus quoque, et hic aliud agens populus, et ventitavere ad domum, et per fora et circulos locuti sunt: nec quisquam, audita morte Agricolæ, aut lætatus est, aut statim oblitus est. Augebat miserationem constans rumor, "veneno interceptum." Nobis nihil comperti adfirmare ausim: ceterum per omnem valetudinem ejus, crebrius, quam ex more principatus per nuntios visentis, et libertorum primi, et medicorum intimi venere: sive cura illud, sive inquisitio erat. Supremo quidem die, momenta deficientis per dispositos cursores nuntiata constabat, nullo credente, sic accelerari, quæ tristis audiret. Speciem tamen doloris animo vultuque præ se tulit, securus jam odii, et qui facilius dissimularet gaudium, quam metum. Satis constabat, lecto testamento Agricolæ, quo coheredem optimæ uxori et piissimæ filiæ Domitianum scripsit, lætatum eum, velut honore judicioque: tam cæca et corrupta mens assiduis adulationibus erat, ut nesciret a bono patre non scribi heredem, nisi malum principem.

XLIV. Natus erat Agricola, Caio Cæsare tertium consule, Idibus Juniis: excessit sexto et quinquagesimo anno, decimo Kalendas Septembres, Collega Priscoque consulibus. Quod si habitum quoque ejus posteri noscere velint, decentior quam sublimior fuit: nihil metus in vultu: gratia oris supererat: bonum virum facile crederes, magnum libenter. Et ipse quidem, quanquam medio in spatio integræ ætatis ereptus, quantum ad gloriam, longissimum ævum peregit. Quippe et vera bona, quæ in virtutibus sita sunt, impleverat; et consularibus ac triumphalibus ornamentis prædito, quid aliud

adstruere fortuna poterat? Opibus nimiis non gaudebat; speciosæ contigerant: filia atque uxore superstitibus, potest videri etiam beatus, incolumi dignitate, florente fama, salvis adfinitatibus et amicitiis, futura effugisse. Nam sicuti durare in hac beatissimi sæculi luce, ac principem Trajanum videre, quod augurio votisque apud nostras aures ominabatur: ita festinatæ mortis grande solatium tulit, evasisse postremum illud tempus, quo Domitianus non jam per intervalla ac spiramenta temporum, sed continuo, et velut uno ictu, rempublicam exhausit.

XLV. Non vidit Agricola obsessam curiam, et clausum armis senatum, et eadem strage tot consularium cædes, tot nobilissimarum feminarum exsilia et fugas. Una adhuc victoria Carus Metius censebatur, et intra Albanam arcem sententia Messalini strepebat, et Massa Bebius jam tum reus erat. Mox nostræ duxere Helvidium in carcerem manus: nos Maurici, Rusticique visus, nos innocenti sanguine Senecio perfudit. Nero tamen subtraxit oculos, jussitque scelera, non spectavit: præcipua sub Domitiano miseriarum pars erat, videre et aspici: cum suspiria nostra subscriberentur: cum denotandis tot hominum palloribus sufficeret sævus ille vultus et rubor, quo se contra pudorem muniebat. Tu vero felix, Agricola, non vitæ tantum claritate, sed etiam opportunitate mortis: ut perhibent, qui interfuerunt novissimis sermonibus tuis, constans et libens fatum excepisti, tanquam pro virili portione innocentiam principi donares. Sed mihi filiæque, præter acerbitatem parentis erepti, auget mœstitiam, quod adsidere valetudini, fovere deficientem, satiari vultu, complexu, non contigit: excepissemus certe mandata vocesque, quas penitus animo figeremus. Noster hic dolor, nostrum vulnus: nobis tam longæ absentiæ conditione ante quadriennium amissus es. Omnia sine dubio, optime parentum, adsidente amantissima uxore, superfuere honori tuo: paucioribus tamen lacrymis compositus es, et novissima in luce desideravere aliquid oculi tui.

XLVI. Si quis piorum manibus locus; si, ut sapientibus placet, non cum corpore exstinguuntur magnæ animæ: placide quiescas, nosque, domum tuam, ab in-

firmo desiderio, et muliebribus lamentis, ad contemplationem virtutum tuarum voces, quas neque lugeri, neque plangi fas est : admiratione te potius, temporalibus laudibus, et, si natura suppeditet, similitudine decoremus. Is verus honos, ea conjunctissimi cujusque pietas. Id filiæ quoque uxorique præceperim, sic patris, sic mariti memoriam venerari, ut omnia fa[illegible]aque ejus secum revolvant, famamque ac figuram [illegible]i magis, quam corporis, complectantur : non quia intercedendum putem imaginibus, quæ marmore, aut ære finguntur ; sed ut vultus hominum, ita simulacra vultus imbecilla ac mortalia sunt, forma mentis æterna : quam tenere et exprimere non per alienam materiam et artem, sed tuis ipse moribus possis. Quidquid ex Agricola amavimus, quidquid mirati sumus, manet, mansurumque est in animis hominum, in æternitate temporum, fama rerum. Nam multos veterum, velut inglorios et ignobiles, oblivio obruet ; Agricola, posteritati narratus et traditus, superstes erit.

ntempla-
ri, neque
bus lau-
emus. Is
Id filiæ
ti memo-
um revol-
corporis,
m imagi-
ut vultus
mortalia
exprimere
ose mori-
quidquid
nis homi-
Iam mul-
obruet ;
es erit.

LATIN CLASSICS.

CHEAP COLONIAL EDITIONS
FOR
COLLEGES AND SCHOOLS.

Although the great improvements in the Printing Art have done so much to add to the appearance of Books, and also to diminish the cost, yet the price still forms rather a serious item in the expense of education. This is particularly the case in editions of the Greek and Latin Classics. There is no want of excellence in many of these, but they are generally either so comprehensive or so extended by annotations, that the price is an obstacle to those who, entertaining enlarged views of the advantages of education, have not means commensurate with their wishes. It is, therefore, the intention of the Subscribers, to publish neat and correct editions of such detached portions of the Classic authors as are usually read in Schools and Colleges. This plan has been tried in England, and has been attended with marked success.

To those who are obliged to study economy in education, these editions will be recommended by their cheapness, their accuracy, and their being limited in their extent to that which is absolutely necessary.

To those, who either possess, or can afford to possess more expensive editions, these little copies will be offered as a means of saving the others from that speedy injury or destruction which befals books in the daily transit between home and school. They will be more portable and convenient, more fair and scholar-like in the class-room—not open to the just and reasonable objection which Tutors make to editions so charged with notes, that they almost amount to a translation.

Some years ago, the Subscribers made the attempt to introduce a uniform series of Books into the Common Schools of Canada. Their design was heartily seconded by the Board of Education in Ireland, who promptly and with the utmost liberality placed the copyright of their valuable Text Books at their disposal. At a very considerable expence of labour and money, the Subscribers, in a shorter period than they anticipated, succeeded in introducing the

Books into almost every section of the Province. Since then the indefatigable and intelligent Superintendent of Education in Canada West, who, at an early period, expressed to the Subscribers his favourable opinion of these Books, having himself obtained permission to reprint them, delegated the right to other Booksellers in Canada, by whom, and by the Subscribers under their original grant from the Irish Board, the Province is now abundantly supplied with these excellent Books.

The success which attended this experiment to improve and render uniform the Books used in the Common Schools of Canada, has emboldened the Subscribers to undertake the publication of the Classical series now announced for the use of Colleges, High Schools, District and Grammar Schools.

The first numbers of the series will consist of the following:—

Excerpts from Cornelius Nepos.
The First Four Books of Cæsar.
The Georgics of Virgil.
The Fasti of Ovid.
The Third and Fourth Books of Quintus Curtius.
Cicero de Amicitia.
Cicero de Senectute.
Taciti Agricola.
Excerpts from Horace.

To be followed in rapid succession by Sallust's History of Cataline's Conspiracy, The Four First Books of Virgil's Æneid, and other Standard Text Books.

The price of each will vary from 9d. to 1s. 9d. currency, according to the quantity of printed matter in each.

Orders for copies will be executed by the Booksellers throughout Canada, or by the Publishers.

ARMOUR & RAMSAY.

OOKS.

series only a few
ns to require the
e been carefully
Introduction to
uel to the Second
ers will find this
ing the way for

r and Key.
d Key.
suration, for the
s.
metry.
Geography and
Maps, Plates,
tion, much im-

following popular

n Small Grammar
echism.
fs.
niversal History.
story of England.
ography.
rithmetic.
nary.
Atlas.
an School Geo-

ROOMS.

lishers, the Sub-
ow price of 6s 3d
d for the use of

& RAMSAY.